EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI ANGELI MARIAE QUIRINI...

Angelo Maria Querini

Digitized by Google

VIII

P. VI. N.º 25.

Badia
N.º 10785.

15. 5. 163

15 F. 5

Digitized by Google

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI

ANGELI MARIÆ QUIRINI

S. R. E. CARD. BIBLIOTHECARII, ET EPISCOPI BRIXIÆ

EPISTOLÆ TRES

AD NOBILEM VIRUM

ANDREAM QUIRINUM SENATOREM VENETUM

Ex Italico idiomate in Latinum converſæ.

BRIXIÆ, MDCCLIII.

Ex Typographia Joannis-Mariæ Rizzardi.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO

JOANNI JACOBO MASCOVIO

CONSIL. AUL. REG. POLONIÆ
SENATORI LIPSIENSI
ET
BIBLIOTHECÆ PAULINÆ PRÆFECTO

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. BIBLIOTHECARIUS ET BRIXIÆ EPISCOPUS

DEſinente anno proxime elapſo in lucem prodiit Venetiis ſplendidiſſimum omni ex parte, forma ſcilicet magnificentiſſima, typiſque nitidiſſimis Volumen, cui titulus DELL' ISTORIA DELLA LETTERATURA VENEZIANA, cujuſque author MARCUS FUSCARENUS Eques, & Procurator Divi Marci ampliſſimus, geſtiſque domi magiſtratibus, foriſque Legationibus quammaxime inſignis. Obſtupui vehementer, ut primo Opus illud dono mihi ab eodem pro benevolentia, qua jamdiu me proſequitur, tranſmiſſum evolvere cœpi, namque in ſingulis propemodum paginis ſummus eruditionis apparatus, exquiſitumque Scriptoris judicium adeo me perculit, ut mihi identidem contigerit hærere, *Attonito ſimilis, vultuque immotus eodem*. Itaque abſque mora calamum

applicui ad concelebrandam ejuſdem Hiſtoriæ præſtantiam, idque præſtiti tribus Italicis Literis ANDREÆ QUIRINO fratris mei filio inſcriptis, quarum ſcopus, florilegæ apis inſtar, depaſci quæcunque in eo Volumine de FRANCISCO BARBARO prodita reperirem, de Cive, inquam, illo Venetæ Reip. præſtantiſſimo, cujus ante aliquot annos Commercium Epiſtolicum evulgaveram. Vix autem emiſſis e prælo tribus iis Literis, ſubiit animum meum cogitatio, operæ pretium me facturum, ſi alicui negotium darem eaſdem Latine reddendi, quo fieret, ut cito FUSCARENIANI Operis fama extra Italiam etiam manaret, certa ego ſpe fretus, quotquot eaſdem lectitarent, gaviſuros primo haud mediocriter aditum ſibi factum ejus Operis prælibandi, deinde eodem plene fruendi deſiderio incenſos rationem inituros, qua inter ſuos ſeu Gallos, ſeu Anglos, ſeu Germanos, ſeu Hiſpanos pari cupiditate ac plauſu legi poſſet, ac modo ab Italis legitur.

Cur autem, MASCOVI Clariſſime, Te præ cæteris Eruditionis laude præſtantibus Viris ſelegerim, cui meam in tribus illis Epiſtolis iterum evulgandis mentem aperirem, plures fuerunt cauſæ, iiſque omnibus adducor ad ſperandum eidem ad exitum perducendæ præſidium tuum, pro ea qua polles in literaria Rep. authoritate, non de-

fu-

Digitized by Google

futurum. Princeps autem cauſa eſt, quod Germaniæ Hiſtoria (Opus certe incomparabile) Teutonico idiomate a Te in lucem vix edita, Itali mei exteros omnes in eadem ſibi adſciſcenda, Italice ſcilicet proferenda, anteverterint, ac parem poſtea ipſorum exemplo curam ſuſceperint Belgæ, & Angli, idemque brevi facturas reliquas Europæ nationes nullus dubito; æquum igitur eſt, ut grata mente feſtinatam illam noſtrorum hominum induſtriam Te accepiſſe teſteris, Italicæ Hiſtoriæ, de qua agitur (profecto ita inſigni, ut & ipſa in genere ſuo vix, aut ne vix quidem comparationem admittat) tuam, quam dixi, authoritatem adjungendo. Præterea humani animi tui vices iſtas ſibi juſte admodum depoſcit FUSCARENI Opus, quandoquidem ibidem lib. IV. pag. 405. facta nominis tui honorifica mentione, judicium collaudatur, quod Ipſe Hiſtoriæ illius tuæ lib. IX. num. XXXI. not. 5. tuliſti de Nicolai Zeni Commentariis, affirmans ſcilicet, Scriptorem iſtum haud ſemper, quæ narrat, ex purioribus fontibus hauſiſſe; tuæque iſti ſententiæ adſtipulatum fuiſſe FUSCARENUM, etiam dum totus foret in iis Civis ſui Commentariis celebrandis, id certe probat, ab eodem nomen tuum miro honore coli. Tertiam tandem cauſam addam, nimirum propenſam tuam erga me voluntatem, quam pluribus argu-

men-

mentis mihi declaraſti; & ipſa utique a Te petit, ut æque facilem precibus meis Te exhibeas ad juvandam in diſſitas quaſvis ab Italia partes Operis Fuscareniani propagationem, nam pro certo habeo parem eidem ad Patriæ meæ decus obventuram, ac Hiſtoriæ tuæ contigit, ſiquidem illi patrocinii tui opem impendas.

Eja itaque, Vir Clariſſime, occaſionem arripe per me Tibi oblatam de Italica Eruditione, quam iter a Te in noſtris provinciis peractum a quadraginta paulo minus annis perſpectam acceptamque Tibi reddidit (ut certum teſtimonium perhibet Epiſtolici Lacroziani Commercii Theſaurus) inſigniter benemerendi, adeo ut Te adjutore Venetæ Literaturæ Hiſtoria Italiæ fines tranſcendens iis omnibus gentibus innoteſcat, quas natura ad ſtudium & uſum literarum formavit. Noveris autem me gaviſum fuiſſe quam maxime, dum Theſaurum illum evolvens deprehendi, Te inter Italos eruditos, quos in Italia comperiſti, ſingulari cultu proſequutum fuiſſe Apoſtolum Zenum, & Joſephum Aſſemanum, ambos mihi amiciſſimos. Ille a tribus & amplius annis ad Superos abiit, aſſiduamque, quam cum eo colui, neceſſitudinem teſtantur plures ejus literæ nuperrime tribus Voluminibus vulgatæ. Aſſemanus vero vivit, vigetque, quique, dum Romæ adeſ-

Digitized by Google

adeſſes, eo recens reverſus fuerat *eruditis ſpoliis*, ut ipſe ſcribis, *ex Ægypto, & Aſiatica peregrinatione onuſtus*, omnigenis divitiis Orbi literario locupletando ab eo tempore uſque adhuc diu noctuque deſudat. Vale.

Brixiæ die XXXI. *Maii an.* MDCCLIII.

P. S. Ne vacuus maneat binarum pagellarum locus, hic recitabo eum ipſum FUSCARENI locum, quem ſuperius Tibi indicavi ex lib. IV. pag. 405 namque ex eodem, ceu ex ungue leonem, dignoſces, quanto ille acumine polleat in ferendo de Scriptoribus, quos allegat, judicio. Viſus es ipſe in Hiſtoria Germ. lib. IX. num. XXXI not. 5. quamplurimum a Franciſco Patritio diſſentire, dum Nicolai Zeni Commentarios, quos Patritius maximopere collaudat, haud mediocriter deprimis, in iiſdem deſiderans hauſtas ex purioribus fontibus narrationes. Accipe modo quam juſte, quam ſolerter diſcordiam illam FUSCARENUS componat: *Ma quanto è vero, che il Zeno eſaminò con ſottile avvedimento libri conoſciuti poco dalle perſone del ſuo tempo; certo è del pari, che talvolta preſtò fede a qualche Scrittore apocrifo: onde il Sig.* MASCOU *nel dotto libro intorno a' fatti de' Tedeſchi ebbe ragione di dire, che non ſempre tolſe da' fonti buoni. La qual diſcreta cenſura pronunciata da Uomo tale, e nella preſente luce delle coſe, fa onore allo Scrittore Veneziano, inferendoſene, che l'opera di eſſo generalmente proceda con giuſtezza. All'incontro Franceſco Patrizj, fiorendo all'età del Zeno, eſalta fuor di miſura que' libri, e tiene l'autore di eſſi per un miracolo del ſapere umano. Ma coteſte teſtimonianze, ſebbene a prima viſta alquanto diverſe, riguardando però alla differenza dei tempi, e degli ſtudj, facilmente ſi accordano, e danno a vedere, che quel Gentiluomo ſuperò in cognizioni quanti viſſero a' dì ſuoi, e tanto di buono introduſſe nell'Opera ſuddetta, che le novelle Critiche non l'hanno potuta oſcurare.* Dic, amabo, quid peritius ſcribi poterat in pari argumento a criticæ artis magiſtris?

Digitized by Google

Addam præterea de Joſepho Aſſemano, Editionem Operum S. Ephræm Græcam, Latinam, Syriacam, non uno loco in Lacroziano Commercio celebratam, jam ad exitum perductam fuiſſe, opera ejuſdem Præſulis, atque una ſimul Stephani Evodii Archiepiſcopi Apamenſis, Petrique de Benedictis e Societ. Jeſu. Præclaram hanc Editionem tandem abſolutam gratulatus ego SS. Benedicto XIV. in Epiſtola Nuncupatoria Vol. quinti, poſt laudatam Nicolai V. ex Epiſcopo Bononienſi Pont. Max. beneficentiam in homines literatos, præſertim in Franciſcum Philelphum, hæc ad Sanctit. S. ſcripſi, *Proh Deum immortalem! Præclaram hanc Editionem Orientalium Eccleſiarum ſapientiſſimi, ac celeberrimi Patris, cujus Scripta apud eaſdem, Divo Hieronymo teſte, locum ferme parem cum libris Canonicis obtinebant, quamque, ceu firmiſſimum Catholicæ veritatis præſidium, olim in votis maxime habuit Clerus Gallicanus (nihil tamen de Syriaco textu cogitans, quod ejus aſſequendi ſpes omnis jam periiſſet) Præclaram, inquam, hanc Editionem, numeris omnibus (abſit verbo invidia) abſolutam, ſi Nicolai V. temporibus Vaticana Bibliotheca protuliſſet, an non putas, Beatiſſime Pater, eum Pontificem vel ex hoc uno beatiſſimum ſibi viſum iri?*

Tandem ne indictum dimittam Apoſtolum Zenum, noveris hanc hominis illius ſingularem laudem (hæc ipſa in Fuscareni Scriptis eniteſcit) fuiſſe, modeſte omnino aliorum ſcripta taxare, quotquot vero probaret, id facere *con lodi ben ragionate, e meſſe in luce fondatamente*. Hiſcemet verbis nuperrime eſt uſus Vir egregius, judicioque præditus maxime exacto Comes, & Eques Petrus Paulus Marcolinus, genitor ejus Præſulis ornatiſſimi, qui in Italiam ex itinere Germanico a biennio redux Mascovii eruditionem, aliaſque animi dotes pleno ore ubique deprædicat. Iterum Vale.

NO-

Digitized by Google

NOBILI VIRO
ANDREÆ QUIRINO
SENATORI VENETO

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. BIBLIOTHECARIUS ET BRIXIÆ EPISCOPUS

S. P. D.

HAud miraberis profecto, Nepos dulciſſime, ſi, cumprimum ſplendidum Hiſtoriæ *Della Letteratura Veneziana* opus ab ejus præclariſſimo Auctore pro ſua in me humanitate dono accepi, eidem illico legendo me dedi, nec modicam jam partem perluſtraverim: etenim ex iis, quæ tibi ſignificavi, noſti quanti opus illud faciam, cui, vel ipſi Auctori gratias cum agerem, convenire poſſe declaravi, præter eum, quem fronte gerit, titulum etiam Hiſtoriæ *De Litteratura Scriptoris ſui*: Multo autem minor admirationis cauſa ſuberit, quod inter legendum in ea potiſſimum oculos intenderim, quæ ad celeberrimum virum FRANCISCUM BARBARUM ſpectant, cujus geſtis illuſtrandis decem ante annos duo bene ſpiſſa volumina, quod te non latet, in lucem emiſi: Nec denique mirum tibi videri debet, ſi ſuſcepto hujus epiſtolæ vulgandæ conſilio, ut Herois illius virtutes uberiori lumine perfunderem, eam ad te perſcribere conſtituerim, quem de Hiſtoria *Della Letteratura Veneziana* bene fuiſſe meritum,

primæ ejuſdem paginæ teſtantur (1). Quod igitur in his litteris præ oculis habebo potiſſimum, illud erit, ut oſtendam ſub initium illius *Hiſtoriæ* BARBARUM jure celebrari eadem prope ratione, qua Cl. Apoſtolus Zenus in ſuis Epiſtolis nuper Venetiis impreſſis commendavit (2); fuit autem Zenus, Auctoris *Hiſtoriæ* judicio, illuſtriſſimus, ac præ ceteris auctoritate præcipuus rerum Venetarum hac noſtra ætate collector.

Libro igitur primo *Hiſtoriæ* de *Legum* ſtudiis agitur; pagina autem 58. eorum ex Patritiis noſtris Catalogus texitur, qui quamvis ſæcularem vitam amplexi eſſent, Legum peritiſſimi habiti ſunt,

(1) Un Codice di queſto Statuto (*Veneti*) ci fu comunicato dal Sig. Andrea Quirini, Senatore ornatiſſimo, e grande amatore de' buoni ſtudj . . . Il detto Codice è una delle più belle raccolte che ſiaſi veduta delle Leggi Veneziane . . . Per liberalità dell' iſteſſo Senatore Quirini è paſſato fra i Codici di Apoſtolo Zeno. *Pag. 16.*

(2) Ho letto, non ſo ſe con più di profitto, o di piacere la incomparabile *Diatriba* di V. Em. Rma. Non pertanto non ho finito di leggerla, volendola ben ſubito ripigliar per mano, e rileggerla da capo a fondo, ſicuro che mi gioverà, e piacerà più ancora la ſeconda volta, di quel che abbia fatto la prima. O Dio, che ineſauſto teſoro di erudizione! Che nuovi lumi ed ajuti alla Storia Letteraria! Il vecchio Franceſco Barbaro era ſtato ſinora aſſai conſiderato e ſtimato per dottrina, e per ſenno, e per grandi azioni e dentro e fuori della Repubblica; ma in avvenire ſarà riguardato e diſtinto, come uno di que' grand' uomini, che il Cielo ſta molti ſecoli a riprodurre, quaſi geloſo che la frequenza ſcemi all' opera il merito, e al merito la venerazione. *Apoſt. Zeno Epiſt.* 220. *Vol.* III.

Digitized by Google

ſunt. Inter eos primum occupat locum Franciscus Barbarus, poſt quem Nicolaus Canalis, Johannes Marinus, Petrus Michelius, Dominicus Bolanus, Bernardus Bembus, Marcus Dandulus, Zacharias Contarenus, Franciſcus Diedus, & Ludovicus Fuſcarenus recenſentur. Cur autem hæc ſupra reliquos præſtantiæ dignitas Barbaro debeatur, explicat nota 165. ejuſdem pag. 58., ubi ita legimus: *Per* Francesco Barbaro *ne fanno indizio non oſcuro le ſue lettere, e la cura che moſtra di procacciarſi libri di Legge, onde pregò fra gli altri Ambrogio Camaldoleſe a ricopiargli da un buon teſto le lettere Greche delle Pandette, ſiccome abbiamo da lettera del Camaldoleſe.*

Præliminarem meam ad Barbari Epiſtolas Diatribem, quæſo mi Andreas, ut in manus ſumas; In illa enim ſtatim pag. xv. invenies eam cupiditatem commemorari, & verba ipſa ex Camaldulenſis Epiſtola excerpta leges, quibus exponit quam difficile futurum eſſet, ut Nicolaus Florentinus Pandectarum libros poſſet tranſcribere (3). At vero præterea perſpicies a pag. lxxvi. uſque ad lxxxvi. agi de Platonis Legibus a Georgio Trapezuntio latinitate donatis, & Barbaro ipſi nuncupatis non alia certe de cauſa, quam propter ſummam illius in Legibus peritiam; quam cum probe noſceret Trapezuntius, animum induxit laborem illum ſuum Barbari judicio ſubjiciendi,

(3) Sunt enim illi libri ex Sacrario Minervæ, nec ſine Magiſtratuum permiſſu inſpici illos eſt licitum, quod imperitum vulgus neſcio quid illos eſſe arbitretur.

Digitized by Google

quemadmodum & teſtatus ipſe eſt, cum ad eum præfationem tranſmiſit, ut eamdem arbitrio ſuo corrigeret ac reformaret (4), & BARBARUS declaravit in ſua ad illum reſponſione (5). Occurret etiam pag. CLXII. quam BARBARUS habuit Orationem, cum in Patavino Lyceo Albertus Guidalottus Juris laurea inſigniretur: quod autem ad id muneris electus BARBARUS fuerit, argumento tibi procul dubio erit, ut credas Juriſprudentiæ ſtudium ex iis fuiſſe, in quæ BARBARUS potiſſimum incubuit. Atque equidem eam inprimis adamaſſe probant, quæ de Juriſprudentia in ſua illa Oratione prædicavit; nullum videlicet eſſe ſtudium aliud magis illuſtre, magis magnificum, divinum magis, cui vacare mortales poſſint (6).

De-

(4) Adde igitur, ſubtrahe, muta, & remitte, oro citius, ut totum opus poſſit quamprimum ad vos advolare. *Diatribes p.* LXXXI.

(5) Præfatiunculam legum Platonis uno, ut ajunt, ſpiritu percurri, quæ & auctoritate ſententiarum, & elegantia verborum te auctore digna viſa eſt. Cæterum quia me pro tuo jure cogis ad expoliendam eam, quæ per ſe ſatis ornata eſt, accuratius illam legam, & quamprimum ad te mittam. *Ibidem.*

(6) Hæc enim liberalis diſciplina in omni libero populo, in omni Rep. bonis legibus inſtituta maximo in honore ſemper fuit, quam non ſolum privatis hominibus ſapiens antiquitas laudi dedit, verum etiam Principibus ipſis majorem in modum neceſſariam eſſe judicavit. Perſarum enim reges, ut de reliquis nunc taceam, tanta cura legibus inſtitutos accepimus, ut etſi ſapientia, temperantia, fortitudine anteirent, indigni tamen imperio viderentur, ſi jura ipſa, in quibus verſabantur, & de quibus loquor, ignorarent. Nihil ſiquidem præclarius, nihil pro-

Digitized by Google

Denique pag. ccι. intelliges Barbarum, cum adhuc junior Vicentiæ Prætoris munere fungeretur, Municipale ejus urbis ſtatutum compoſuiſſe, ac digeſſiſſe, eaque propter a duobus celeberrimis ejus ætatis Scriptoribus Juſtiniani, Minois, Solonis, Lycurgi nominibus fuiſſe appellatum (7). Quæ cum

prope divinius, nihil magnificentius nos conſequi poſſe putaverunt, quam, cum ad juſtitiam, & pietatem in lucem editi ſumus, ea nobis arma vindicare, quæ in cunctis pacatis, tranquilliſque civitatibus otium, concordiam, judicia, libertatem, fidem, hominum ſocietatem, Dei cultum, puram religionem, ampliſſime, honeſtiſſimeque tuentur. Quid eſt munificentius, quam ope, opera, ſcientia, interceſſione, patrocinio, quaſi quendam mortalem Deum, omnium ſalutem, vitam, dignitatem, fortunas defendere? Ac ne plura, quæ infinita ſunt, perſequar, quod majus, aut præſtantius in vita munus obire poſſumus, quam in commune conſulere, leges ſtabilire, prudentibus æquitatem commendare, imperitos edocere, omnes ad decus hortari, tueri bonos, beneficiis erigere, improbos pœnis coercere? *Diatribes pag.* CLXIV. *ſq.*

(7) Veteres eorum mores reſtituiſti: Novos autem pro tua æquitate ſic condidiſti, ut te jam alterum Solonem, alterum Lycurgum, non ex Urbe miſſum, ſed e Cœlo delapſum prædicarent. *Tobias Burgus in Oratione ad Fr. Barbarum, Diatribes p.* ccι. *ſq.* Omnia is plebiſcita, Senatus Conſulta, Edicta Prætorum, ac Illuſtriſſimi & Sereniſſimi Principis noſtri Venetiarum Ducis, quæ vaga, & diſſipata erant, unum in corpus congregavit, & ſub unum adſpectum ita compoſuit, ut ſemper uſui parata & in promptu eſſent. Quæcumque præterea ſcripta Reip. noſtræ accomodari poterant, quæ apud alios populos conſtituta fuiſſe intelligeret, ad nos afferri, colligique non ne-

cum hac compararetur, Legum compilationem eo tempore ne ipſas quidem Venetias jactare potuiſſe, vel ipſe, quem modo evolvo, liber de ſtudiis legum non obſcure patefacit.

Si quem igitur impenſa a BARBARO in comparandis ſibi Pandectis diligentia non ſatis convincat, ut eidem primum inter veteres Patritios noſtros Juriſperitos locum concedat, haud ille quidem refragari poterit iis, quæ in mea præliminari Diatriba congeſſi, & multis argumentis, & fide digniſſimis teſtimoniis, quibus egregie confirmatur, quod ex Ambroſii Camaldulenſis Epiſtola in Hiſtoria *della Letteratura Veneziana* indicatur. Adde porro probationes noſtras eo pluris eſſe faciendas, quo earum vis & momentum invaleſcit magis rationum illarum comparatione, quibus aliis Patritiis ex iis, quos Syllabus paulo ante commemoratus complectitur, Juris ſcientia non vulgaris in *Hiſtoria* adſeritur. Solum fere Juriſconſulti nomen Johanni Marino, Dominico Bolano, Bernardo Bembo, Marco Dandulo, Zachariæ Contareno, Franciſco Diedo ab aliquo Scriptore impoſitum argumenti loco eſt, ut iiſdem Juris peritia

neglexit. Quid de jure ipſo dicam, Vicentini Cives? quod æquabile, conſtans, maturum dixit, inſtituit, ordinavit, temperavit. Quem ſicut Romani Juſtinianum, Cretenſes Minoem, Athenienſes Solonem, Lacædemonii Lycurgum, gloriæ perpetuitati dedicabimus. Et licet te propria conſcientia, & benefactorum recordatione contentum eſſe non dubitemus; tamen apud nos, apud poſteros noſtros,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.
Guarinus in Proemio ad jus Municipale Vicentinum. Diatribes pag. CCVI.

Digitized by Google

ritia tribuatur. Non omittit tamen ad idem comprobandum *Hiſtoriæ* Auctor adjuncta quædam expendere, quæ huc facere videntur, *Clariſſimi* ſcilicet titulum *Juriſconſulti* nomini adjectum in duabus BARBARI Epiſtolis, ubi de Johanne Marino, & Niccolao Canali ſermo eſt; &, quod ad hunc ſpectat, ſalutem ejus nomine a BARBARO dictam celeberrimis Jureconſultis Ambroſio de Advocatis, & Johanni Martinengo; lauream itidem, quam in Pariſienſi Athenæo Zacharias Contarenus conſecutus eſt. At vero Ludovico Fuſcareno præ cæteris merita impenditur laus, de quo ab *Hiſtoriæ* Auctore prædicatur, quod ipſius Epiſtolæ textibus ex utroque Jure Cæſareo, & Pontificio depromptis refertiſſimæ ſint. *Stanno queſte*, inquit ille, *preſſo di noi in un bel Codice membranaceo, e ſon dirette la più parte ai Letterati più famoſi, che fioriſſero in Italia, alquante a Principi, e Perſonaggi di grande affare*. Præclariſſimum hunc Codicem duobus ſolidis annis præ manibus habui, eodemque non mediocriter uſus ſum, quod cum ex quamplurimis Diatribes meæ locis conſtare poſſit, tum vero maxime patet ex Epiſtola quadam mea typis edita, qua pretium & elegantiam ejus Codicis celebravi: Septima illa eſt inter primæ Decadis meæ Epiſtolas; in eaque debitas refero grates *Hiſtoriæ* Auctori, a quo ſingulari humanitate ac facilitate, quam exemplo carere tum ſcripſi, Codicem illum commodatum acceperam; mihi autem vehementer gratulor, quod nova mihi ſe modo offerat occaſio eoſdem illos grati animi ſenſus palam efferendi. Quemadmodum vero cum de FRANCISCO BARBARO ſcriberem, nullam non adhibui diligentiam, ut ex pre-

tioſo illo Codice elicerem, quæ non BARBARI tantum, ſed & Ludovici Fuſcareni geſtis illuſtrandis uſui eſſe poſſent, ſic, ut in præſentiarum quoque animum beneficiis memorem oſtendam, animadvertere non prætermittam, me ex una earum, quas Codex complectitur, Fuſcareni Epiſtola luculentum teſtimonium produxiſſe, quo aperte demonſtratur, quanto in pretio BARBARUM ille haberet propter locatam Legum ſtudiis operam (8). Quanta etiam Vitalis Landus, cujus nomen aliis in commemorato catalogo laudatis ſubjicitur, Juris ſcientia polleret, in *Hiſtoria* peculiari quadam ratione manifeſtum fit, quod eo ſcilicet arbitro, ac ſequeſtro non levis controverſia inter Venetos ſuos, & Ducem Borſum Eſtenſem excitata, dirempta ac compoſita fuerit.

Jam vero judicem te volo, mi Andreas, ut decernas quantum his rationum momentis, quibus *Hiſtoriæ* Auctor innititur, ea præponderent, quæ a me pro BARBARO meo in medium prolata ſunt; Equidem mihi polliceor fore, ut quamcumque verſes operis mei pagellam, alia ſe tibi paſſim ſiſtant argumenta, quibus fateri debeas:

Micat Barbari Sydus
Velut inter ignes Luna minores.

His etiam adde propoſito meo conficiendo vel unam ſatis futuram arctiſſimam illius cum Petro a Monte, & Lauro Quirino Juriſconſultis ea ætate

(8) Adeo autem ſe Commentarios illos admirari profitetur Fuſcarenus, ut ſi tantam dicendi ſtudio operam dediſſet, quantam Philoſophiæ Imperatorum, & Pontificum juribus, ſe Porcellii laudes ſuis carminibus cantandi libenter munus ſuſcepturum affirmet. *Diatribes p.* XCII.

Digitized by Google

te nemini ſecundis neceſſitudinem, & crebram Epiſtolarum conſuetudinem; adde huc præterea Barbarum Græce linguæ ſcientiſſimum non alia de cauſa inter reliquas a Plutarco ſcriptas Virorum illuſtrium vitas, Catonis potiſſimum atque Ariſtidis ſibi in latinum ſermonem convertendi provinciam ſumpſiſſe, quam quod illi ab omnibus vulgo tanquam abſolutiſſima veteris Juriſprudentiæ exempla commendarentur (9).

Verum, ut rationes alias ejuſdemmodi, quibus, ut jam dixi, opus illud meum abundat, faciam miſſas, continere me non poſſum quin te rogem, ut in Caput II. §. IV. Part. II. Diatribes meæ oculos ſaltem conjicias. Illic in graviſſimo illo negotio Eccleſiæ Græcæ cum Latina reconciliandæ, cui Ferrarienſe Concilium incumbebat, ſe tibi Barbarus in eccleſiaſtica etiam Juriſprudentia verſatum adeo exhibebit, ut fateri omnino debeas, a me ſummo jure prædicatam illius in iis materiis doctrinam & peritiam ſingularem, & conſilia ſapientiæ ac prudentiæ pleniſſima, quæ Eccleſiæ Doctoribus in earum examine tunc temporis Ferrariæ primum, Bononiæ deinde, & tandem Florentiæ occupatis, eſt impertitus (10).

Re-

(9) *De Ariſtide in earum verſionum Proœmio* Barbarus *ſcribit*: Ab ineunte adoleſcentia tantum præſtitit artibus pacis, ut perpetua ſanctitate, & gravitate vitæ Juſti cognomen, quod nemini prope conceſſum eſt, ad ultimum ſervarit. *Cato autem ab eodem* Barbaro *vocatur*, Omnium conſenſu peritiſſimus Juriſconſultus, æquiſſimus Prætor, egregius Conſul, optimus Senator, ſeveriſſimus Cenſor. *Diatribes p.* CXXXVII.

(10) Haud profecto a veritate aberraverit, quicumque pu-

Reſtat jam, pauca ut faciam verba de alio argumentorum genere, quod in *Hiſtoria* uſurpatur, ad præſtantiam Patritiorum noſtrorum in Legalibus diſciplinis comprobandam; in eo autem ſitum eſt, quod eorum non pauci ad regendas Inſubriæ urbes, atque alias etiam tota Italia, Prætoris nomine fuerint evocati. Dixi alias etiam tota Italia urbes: quemadmodum enim in hiſtoria ſervato veterum temporum ordine primum mentio injicitur & Matthæi Quirini, qui an. 1186. ad Tarviſinam Præfecturam accitus fuit, et aliorum ex Quirina familia duorum, qui Patavinam adminiſtrarunt non multo poſt publici Gymnaſii inſtitutionem, & Nicolai Quirini, qui bis Regio Lepidi in Inſubria præfuerat, ejuſque Parentis Marci, qui eodem munere ibidem bis, totidemque Vicentiæ vicibus fuerat perſunctus, ita in eadem Hiſtoria celebratur Nicolaus Quirinus, quem anno 1271. Piſani in Prætorem optarunt. His porro non abs re foret, ne e familiæ noſtræ cancellis egrediamur, ſi adderemus inſignia, quæ Firmii exſtant, Prætorum ex gente Quirina, monumenta, quorum in Epiſtola ad me data doctiſſimus Borgia ejuſdem Urbis Archiepiſcopus copiam mihi pro ſua humanitate fecit.

Sed enim, ut dixi, ne hoc quidem ad legalem ejus ſcientiam declarandam argumento BARBARUS caruit; nam Diatribes meæ Part. II. Cap. I. §. I.

putet, licet a Viro politicis muniis addicto, diſtentoque quam maxime bellicis curis, vel ipſis Eccleſiæ Principibus utili documento eſſe poſſe pro Græcorum, aliorumque Orientalium animis ad unionem cum Romana Sede pertrahendis. *Ibidem p.* CCXVII.

§. I. leges, illum non plures quam annos quatuor & viginti natum ad regendum Comum fuiſſe acceritum teſte, quem paulo ante laudavimus, Tobia Burgo, a quo etiam accepimus, eumdem vel anno ætatis ſuæ primo & vigeſimo in Venetorum Senatorum numerum fuiſſe adſcitum (11). Invenies etiam eodem Cap. I. illum vel in ipſo ætatis flore quatuor Legationes cum laude obiiſſe, duas quidem Reipublicæ imperio, alteram Ferrariæ quodam ſuper negotio apud Card. e ſancta Cruce expediendo, alteram Romæ; reliquas vero duas in Boemia, ac Germania Sigiſmundi Cæſaris, atque Eugenii IV. Summi Pontificis voluntate (12).

Atque

(11) Tantique prius Ordinis Senator exſtitiſti, quam prætexta, ut ſic dixerim, emiſſus eſſes; quod cum præter mores, ac leges veſtras ſit, ita nemini, præter quam tibi, ante hac accidiſſe cognovimus. *Ibidem pag.* cxcv.

(12) *In prægrandi MSto Volumine Chronicorum Venetorum ad Bibliothecam Seminarii Epiſcopalis Brixiæ ſpectante, legitur:* In queſto tempo Meſſer Francesco Barbaro Rettor adì 3. Fevrer per Conſiglio di Cento fu fatto, e mandato Ambaſciator a Ferrara dal Cardinal Santa-Croce, e di lì con deliberation aveſſe da andar a Roma alla preſentia del Santo Padre Papa Martin, per aver queſto ſpazzamento per facende molto importanti. *Diatribes pag.* ccxiv. *Tobias Burgus in Oratione ad* Fr. Barbarum: Facile igitur tantas præclariſſimi animi tui dotes Sigiſmundus Cæſar magnifacere potuit. Non enim humano dumtaxat corpore tam illuſtrem animam claudi paſſus eſt, niſi auro, omnium pretioſiſſimo metallo, inſuper decoraret. Cum enim ad eum Italia educendum Legatus ornatiſſimam, & ſua Majeſtate digniſſimam Orationem habuiſſes, te, ac præter te, ce-

te-

Digitized by Google

Atque hæc quidem de primo *Hiſtoriæ* libro ; ad FRANCISCUM BARBARUM meum quod attinet, ſatis ſint dicta. Sequuntur autem alii libri tres, in quibus *Dell' Iſtoria Veneziana*, *e Foreſtiera* diſceptatur; ex his alterius ad te Epiſtolæ argumentum mihi ſuppeditatum iri operire; Nec ſane dubito, quin in præclariſſimo iſto Opere copioſiores divitias, & ampliorem uſque Auctoris eruditionem admiraturus ſim propter eam lucem, quam eidem aſpergent Epiſtolæ ineditæ FRANCISCI BARBARI CLXX. Fuſcareno quodam Codice comprehenſæ, quarum certe frequens fiet commemoratio, quod *aſſai più utili per la Storia*, *che le edite* fore affirmentur tum pag. 456., tum ejuſdem paginæ nota 382., tum etiam in ipſo Operis Indice ad vocabulum FRANCISCUS BARBARUS. Ex his ineditis Epiſtolis unicam tantum (niſi me oculi fallant) toto primo libro laudatam deprehendi, atque id quidem in re levioris momenti, ut nimirum probetur Johannes Marinus a BARBARO *Clariſſimi Juriſconſulti* nomine inſignitus fuiſſe. Quamobrem haud temere mihi pollicebor fore, ut poſterioribus libris radios illæ ſuos circumquaque diffundant; neque tamen

---

teros Collegas tuos equeſtribus donavit ornamentis; teque porro in Bohemiam Legatum mitti juſſit. Cujus exemplum paulo poſt Eugenius Pontifex ſecutus, cum tuam in rebus agendis ſolertiam, fidem, & eloquentiam perſpexiſſet, te potiſſimum, præter omnem civitatis veſtræ conſuetudinem, ad Cæſarem, & Germanicos Heroas ſibi conciliandos Legatum delegit. Nam pleraſque alias, & eas quidem non vulgares, Legationes a te ut prudenter, ita graviter, & tempeſtive peractas prætereo. *Pag.* CCXXII.

men proinde exiſtimaverim non futuras præſidio, eoque inſigni BARBARO iiſdem in libris efferendo, quas ego jam vulgavi, quippe quæ non vitæ tantum hominis unius ſcribendæ (cujuſmodi innumeras propemodum habemus) ſed & integræ hiſtoriæ adornandæ ſatis eſſe poſſint; nova autem iiſdem accedet vis ex Epiſtola mihi antea ignorata Blondi ad BARBARUM, qua mirifice confirmatur, quam in Diatribe mea ſecutus ſum opinionem de Brixianis Commentariis non Evangeliſtæ Manelmo, cujus præferunt nomen, ſed ipſi FRANCISCO BARBARO adſcribendis; quod aperte ſatis conſtabit, ſi Blondi Epiſtola & cum Epiſtola Nicolai Reſtæ ad BARBARUM, & cum Oratione Johannis a Spilimbergo Forojulienſis Provinciæ nomine coram ipſo pronunciata, ex quibus ego jam excerpſi, quæ in Diatribe penſitavi, conferatur (13).

Denique non omnem certe abjiciam ſpem, quin Epiſtolæ BARBARI a me collectæ, & duos in tomos diſtributæ numero circiter quingentæ eam in poſterum quoque pretii atque auctoritatis laudem ſibi tueantur, cui nihil plane detraxit primus Hiſtoriæ *Della Letteratura Veneziana* liber, in quo non

(13) *Sententiam illam meam Blondi Epiſtola mirifice confirmari affirmavi, quod* BARBARO *gratias habens de Commentariis ad ipſum tranſmiſſis, quæratur fore ut nonus Hiſtoriæ ſuæ liber, ubi de geſtis in eadem Commentaria relatis, ideſt de propugnata a Barbaro Brixia, ſibi tractandum fuerat, a ſe* aride nimis, ſeu minus vere, *ſcriberetur; quibus verbis Blondus ſatis commendat modeſtiam Auctoris illorum Commentariorum, qui de rebus ſuis parce adeo in iis diſſeruerat, ut vel ipſam veritatem occultaſſe videri poſſet.*

non ſemel allegantur, quamque iiſdem aſſeruit doctiſſimus Zenus, luculentiſſima adprobatione (14). Verum præ ceteris omnibus, quæ meæ illi Collectioni plauſere, doctorum hominum ſuffragiis ſummo in pretio habeo, ſemperque habebo judicium de illa prolatum a ſapientiſſimo, eodemque litteratiſſimo Senatore Flaminio Cornelio, quem ſatis nunquam laudaveris propter generalem Venetarum Eccleſiarum Hiſtoriam, quam texit & vulgat exquiſita ædepol! diligentia, acuratiſſimoque criterio conſcriptam. Quid mea de Collectione ſentiret, magnifice aperuit latina quadam Epiſtola ad me data, ubi de B. Franciſco Quirino Gradenſi Patriarcha (15) ſibi diſſerendum ſuſce pe

(14) Egli per verità è ſtato impareggiabile, e maſſimo per ogni parte, ch'e' ſi conſideri: Ma V. E. ha' gran merito di avercelo fatto conoſcere, qual egli è ſtato. Qual altra poſſa a quella grand'anima pareggiarſi, difficilmente il ſaprei, o direi ſolo la gran mente di V. E. che nella ſua bell'opera ha date di ſe mirabili e novelle prove, e tali, che per quanto alta ſi foſſe la riputazione, alla quale l'avean già fatta ſalire gli altri ſuoi ſcritti, con queſto l'ha innalzata a maggior grado, e ha ſuperata, per così dire, ſe ſteſſa. Grande ſtudio e immenſa fatica, che le è convenuto di ſoſtenere nel diſeppellir dalle tenebre tante diſperſe e pellegrine notizie, e per metterle nel vero lume, e diſporle con sì buon ordine, che con la moltiplicità non cagionaſſero nè ſtanchezza, nè confuſioue. Le fonti, donde le ha tratte, ſono di Autori illuſtri contemporanei, parte impreſſi, ma poco conoſciuti e quaſi dimenticati, e parte, anzi la maggior parte, da Codici in più Biblioteche ripoſti. *Apoſt. Zeno Epiſt.* 220. *Vol.* III.

(15) Quotquot hactenus in lucem protuliſti præclariſ- ſi-

ſperat. Eo ſane judicio nihil accidere poteſt jucundius Scriptori, cui ex laboribus ſuis majorem affectare gloriam non licet, quam ut civibus ſuis exempla proponat, unde utiliores Patriæ evadant ſanctiſſima impoſitorum munerum adminiſtratione: Simile quidpiam animo propoſitum habui meorum ex ampliſſimo ordine Collegarum commodo

ſimi ingenii tui Opera magnam ſibi omnium vindicant admirationem, at vero mirari quis unquam deſinat, Venetæ præſertim Reip. Patritius, Opus illud, quo res geſtas, & merita Francisci Barbari Senatoris eximii non enarras ſolum, ſed mira ſtyli arte expreſſas quaſi oculis ſpectandas exhibes, *Ut Veneti Patritii imaginem virtutis habeant, cui ſe ſe ſtudeant conformare, dum varia, & inter ſe diverſa capeſſunt Reip. officia, quibus ipſa veluti partibus arcte inter ſe connexis conſtat. Civibus Patriæ adminiſtrationem ſuſcepturis Civem proponis religione, ac probitate conſpicuum, eximia in rebus peragendis præditum prudentia, in adminiſtrandis, pacis, bellique muneribus nulli parcentem labori, & in arduis rerum viciſſitudinibus conſtantis animi firmitate fortiſſimum, exemplar ſcilicet numeris omnibus abſolutum, quod pro virili parte ſequi debeant, atque imitari.* *In exordio Epiſt.*

Digitized by Google

modo in ea, quam ad calcem fere jam perduxi, Epiſtolarum Card. Reginaldi Poli, hominis plane, cui neminem invenias parem, Editione. In eo illis exhibui exemplum numeris omnibus abſolutiſſimum, ex quo facile petant, qua ſe ratione gerant, ut dignitati ſuæ, ſuiſque muniis cumulatiſſime ſatisfaciant (16).

Brixiæ XIV. *Cal. Mart.* MDCCLIII.

EPI-

(16) *Seu Legationes in Provinciis Eccleſiaſticæ Ditionis ſuſtineant, ſeu longe ab Urbe ſacris Conventibus præſint, ſeu Summo Pontifici calamum coram, aliamque operam præſtent, ſeu Comitiis Interpontificiis interſint, ſeu privatis ſtudiis vacaturi ad loca amœna ſe conferant, ſeu pro fama ſua tuenda apologeticas paginas evulgare adigantur, ſeu ad Reges pro graviſſimis negotiis pertractandis ablegati adverſa conflictentur fortuna, ſeu demum ſtatuendo Catholicæ Religionis bono in exteris provinciis, & regnis incumbant. Ad calcem Apparatus Volumini Quarto Collectionis Epiſtolar. Card. Poli præfixi.*

Digitized by Google

EPISTOLA ALTERA.

NOBILI VIRO

ANDREÆ QUIRINO

SENATORI VENETO

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. BIBLIOTHECARIUS ET BRIXIÆ EPISCOPUS

S. P. D.

QUas uno abhinc circiter menſe me tibi daturum promiſeram, nunc litteras mitto, Nepos ſuaviſſime, breviores eas quidem, quam ſuperiores, quod ſecundo Hiſtoriæ *della Letteratura Veneziana* libro BARBARI mei mentio occurrat nunquam, tertio vero ſemel tantum, ubi de hiſtoricis Commentariis propugnatæ urbis Brixiæ agitur, de quibus aliquid jam ſuperioribus litteris meis attigeram. Quamobrem non aliud mihi reliquum eſt, quam ut idem argumentum, quod in illis raptim, in his fuſius, ac diligentius retractem, eaſque adeo rationes explicem, quibus modo, magis etiam quam antea adducor, ut credam Commentaria illa BARBARO ipſi omnino adſcribenda. Quoniam vero hæc diſquiſitio paucas tantummodo impleret pagellas, eidem quoddam veluti Procemium præmittendum ſtatui, quo tibi aperirem, tanto me in dies majori admiratione percelli, quanto in Hiſtoria *della Letteratura Veneziana* legenda magis pro-

gredior: tantum enim in ea omnigenæ eruditionis theſaurum ubique invenio, ut neſciam profecto, an aliud unquam opus in lucem prodierit ullum, quo promptius litteris humanioribus contra ſeveriores diſciplinas adjudicari cauſa poſſit in ea controverſia, quam in quibuſdam Academiis recens reſtauratam intelligo: utræ utris præſtent.

Hujus autem judicii mei rationes paucis accipe. Illud primum conſtituo nunquam fore, ut Matheſis, & Phyſice (quæ inter ſeveriores diſciplinas numerantur) ex ea, in quam apud omnes fere ſæculo xv. inciderant, oblivione emergerent, niſi eodem tempore humaniores litteræ rapidos illos, quos novimus, progreſſus feciſſent: earum quippe ſubſidio, qui iiſdem ſe dederant, non ſolum e Bibliothecarum tenebris ac pulvere veteres Scriptores extraxere, quibus, tanquam fundamento, earum ſcientiarum ſtudium incumbit, ſed etiam illorum operibus in vulgatiores linguas translatis effecere, ut in hominum manus ac cognitionem facilius venirent. Deinde illud etiam accedit, quod humaniorum litterarum cultura quamdam doctrinæ amplitudinem abſque ulla comparatione majorem multo poſtulet, quam quæ auſterioribus ſcientiis excolendis neceſſaria ſit: etenim illæ inchoata vel a prima ætate ſtudia, continuatoſque exinde in pervolutanda incredibili tum editorum typis, tum manuſcriptorum voluminum multitudine labores petunt; hæ vero contra vel uno plumbi aut carbonis fruſtulo contentæ ſunt. Quapropter non inſcite neſcio quis pronunciavit fore, ut vel in Inſulæ deſertæ ſinu maximus ille Archimedes & calculos ſuos ſubducere, & ſuas notare lineas, & figuras conſtruere potuiſſet. Præterea iiſdem facultati-

tatibus ſola, quam a natura accepimus, ingenii ſubtilitas cupiditate quadam ſciendi extimulata, ſine longo ſtudiorum apparatu ſatis eſſe poteſt. Adde demum Mathematicas diſciplinas quoddam eſſe totum, cujus partes a ſe invicem minime pendeant, quæque adeo vel mediocri ingenio offerant, in quo cum laude verſari poſſit; cum e contrario diverſa, quibus eruditionis veluti corpus coagmentatur, membra, ita inter ſe cohæreant arctiſſime, ut non ſine magna ingenii vi & contentione complecti omnia, ac prehenſare quodammodo liceat, ſi quis eruditioni comparandæ ſe ſtrenue dedat.

Jam vero, ut ad propoſitum meum redeam, oſtendamque, quam ſplendide hæc, atque alia id generis argumenta a litterarum humaniorum patrocinatoribus afferri ſolita in præclariſſimo Opere *della Letteratura Veneziana* triumphent, fatebor equidem mihi nunquam contingere, ut aliquam ejus paginam percurram, quin videar continuo in vaſtiſſimum, quemdam veluti oceanum rapi, de quo Poetæ illud recinere poſſis, *Cœlum undique, & undique Pontus*. In eo namque Opere pervolvendo mihi ubique & Coſmographiæ cultor eximius, & Genealogiarum deſcriptor acutus, & criticæ artis obſervator ſtudioſus, & in Numiſmatibus, aliiſque vetuſtis monumentis dijudicandis, adſcitis etiam non raro ad examen rite inſtituendum Grammatices præceptionibus, cenſor accuratus offert ſeſe: quam acri ubique judicio, ut ſua ſcriptoribus quibuſque, quorum teſtimonia proferuntur, auctoritas conſtet, & temporum, locorumque, quibus floruere, expenduntur adjuncta, & peculiares vitæ rationes excutiuntur, & definiuntur cara-

&heres, quibus germana eorum opera a ſuppoſitis diſcerni poſſint! „*Quelles lumieres* (recentior quidam auctor exclamat) *la Critique ne repand-elle* „*pas ſur l'Hiſtoire des Provinces, des Villes, des* „*Egliſes, des Monaſteres, des Maiſons illuſtres? Quels* „*ſervices n'ant-elle pas rendù a la Religion*.„ Hiſtoria (ſubdit idem Auctor) Lokio judice Prudentiæ ac civilis ſcientiæ paleſtra eſt; at vero dubitari non injuria poteſt, an viro civilibus muneribus addicto præſtet aut neceſſe ſit uberiorem Matheſeos cognitionem ſibi conquirere, quam quæ ex prioribus ſex Euclidis elementis hauriri poſſit. Verum ſi quid eſt, quod in eo Opere, quo de loquor, maxime ſplendeat, id certe eſt, Scriptoris ipſius ſolertia atque acumen in capiendis, inter tot ambiguitates, quibus hiſtorica facta obnoxia ſunt, quæ magis ad rem faciunt, conſiliis; Hiſtoria enim multum abeſt, quin primo aſpectu fluctuantem animum ſedet, quemadmodum Geometria, aliæque mathematicæ diſciplinæ ſolent, quæ cum cultoribus ſuis dubitandi facultatem adimant, ſimul etiam induſtriæ in eligendo impendendæ eoſdem laude privant.

Haud equidem vereor, mi Andreas, ne hoc qualecumque, quod hiſce litteris meis præfixum legis, Procemium, tibi æquo prolixius videatur; etenim cum ſæpe nec ſine ſingulari animi tui voluptate, quod non ſemel mihi indicaſti, Opus *della Letteratura Veneziana* verſes, intelligis profecto, illud ſatis unquam commendari ac celebrari haud poſſe propter eas ipſas rationes, quas non ego quidem primum excogitavi, ſed exponere ſolum, atque oculis ſubjicere paulo ante ſtudui. Ut igitur tandem ad BARBARUM meum tranſitum faciam, eam-

Digitized by Google

que aggrediar quæſtionem, quæ ſuper hiſtoricis Commentariis movetur, quamque initiò monui unicum fore hujus Epiſtolæ meæ argumentum, ſtatim affirmate pronunciabo, me hodie majori quam antea animi adhæſione in ea ſententia perſiſtere, quæ Commentaria illa BARBARI ipſius genuinum eſſe fœtum aſſeverat. Controverſia hæc ab Auctore *Hiſtoriæ* ad trutinam revocatur pag. 242. & 243., non in ipſo tantum textu, ſed etiam in copioſiſſimis notis textui appoſitis, in quibus, ſi quod eſt fateri debeam, perjuncundum mihi accidit, quod variis ſuper articulis propoſiti argumenti non minus certe, quam octies BARBARI Epiſtolæ a me in lucem productæ laudentur, cum interim binæ tantummodo commemorentur ex Fuſcareni Codice nuper detecto. Prodit primum nota 46. BARBARI propoſitum eorum Commentariorum ſcribendi; in ea enim legimus Brixianæ propugnationis acta digna eſſe „*Ut inter annos priſcos cum majeſtate Romanæ eloquentiæ, ſi per occupationes noſtras licuerit, poſteritati commedentur*. Nota vero, quæ proxime ſequitur, teſtimonia duo complectitur ex Epiſtola Nicolai Reſtii Raugiæ ad BARBARUM data, e quibus colligas, eum non minus Brixiana Commentaria, quam opuſculum *De Re Uxoria* elucubraſſe; queritur enim ibi Reſtius, quod ea ſecum minime attulerit, ut Pannoniæ Optimatibus faceret ſatis, quibuſcum frequens ſibi intercederet de BARBARI virtutibus commemoratio, & præſertim de providentia, ac fortitudine, qua Brixianam obſidionem ſuſtinuerat. *Satis ea* (verba ejus ſunt) *mihi ad dicendum notiſſima eſſe poterant ex Commentariis Brixienſibus, quos olim Venetiis pro tua in me benevolentia, mihi tradideras legendos*.

Verum rem omnino conficere mihi videtur, quod ex Johannis a Spilimbergo Oratione nomine totius Forojulienſis Provinciæ Utini coram BARBARO ipſo habita in medium profertur, qua de Oratione Diatribes meæ præliminaris pag. CCCCVII. hæc a me ſcripta ſunt, *Tandem ſcriptos de geſtis ab illo* (BARBARO) *in Brixia tuenda Evangeliſtæ Manelmi Commentarios commemorat. De iis autem quemdam ſcrupulum injicit non ab alio, quam ab ipſo* BARBARO *compoſitos videri, ſi Orationis ſplendorem ſpectemus, quod in ipſo (ſubdit ille) a nullo Sapiente poſſe accuſari, Cæſaris & Ciceronis exempla demonſtrant; alterius enim (inquit) de rebus a ſe geſtis ſua, & clariſſima exſtant Commentaria; alterius exſtat Epiſtola, ubi palam & ipſe tres de temporibus ſuis metrice libros conſcripſiſſe profitetur.* Dixi animo meo ſcrupulum quemdam comparatione illa Brixianorum cum Cæſaris Commentariis, & Ciceronis Epiſtola fuiſſe injectum; verum, ut nunc mihi quidem videtur, ſcrupulus ille meliori nomine appellandus eſt certitudo, poſtquam Hiſtoriæ *della Letteratura Veneziana* Auctor aperte teſtatur: *Giovanni da Spilimbergo ſenz' altro aſſegna al noſtro Patrizio quelli, che vanno ſotto nome di Vangeliſta Manelmo*. Etenim ſi BARBARO coram BARBARO ipſo præclarus ille Orator ea Commentaria *ſenz' altro* tribuit, id fieri certe ab eo fine evidenti ratione minime potuit. Huic potiſſimum fundamento innixus a P. Ab. Aſtezati, a quo primum Brixianis formis an. 1728. Evangeliſtæ Manelmi nomine vulgata fuerant, ſententia diſcedendum mihi eſſe exiſtimavi.

Non diſſimulaverim tamen in Epiſtola nondum edita BARBARI ad Blondum, quæ nota 49. appa-

ret,

ret, de iiſdem Commentariis Blondo a BARBARO communicatis ſermonem perinde haberi, ac ſi non ab ipſo, ſed ab alio quopiam ejus juſſu exarata fuiſſent. Ita enim in Epiſtola illa legimus: *Cæterum ut honeſto tuo deſiderio ſatisfaciam, Commentariolos fieri juſſi, quos pro tua ſapientia acurate leges, & illos non dicendi ſtudio, ſed veritatis cauſa magni facies, & ad Hiſtoriam tuam exornandam & amplificandam uteris more & inſtituto tuo*. Sed enim valde etiam vero ſimile dixerim, BARBARUM, ne ſe Operis, quod in ſuam omnino laudem totum cederet, Auctorem proderet, idem juſſu quidem ſuo, ſed aliena manu confectum credi voluiſſe. Memini me ſuperioribus litteris meis ſignificaſſe, non parum in eandem me ſuſpicionem inclinaſſe, quod Blondus in ſua ad BARBARUM reſponſione declaret fore, ut nonus tertiæ Decadis ſuæ liber, qui in Brixiana obſidione, quam cum Saguntina ob parem utriuſque gloriam componit, narranda inſumendus erat, *aride nimis & minus vere* a ſe ſcriberetur; cujus ego quidem querimoniæ cauſam in iiſdem litteris in Commentariorum auctorem conjeci, qui ne in ſuas laudes latius excurreret, in referendis obſidionis illius actis adeo cohibuerit ſeſe, ut vel ipſam veritatem occultaverit; cui cogitationi meæ confirmandæ addere in præſens innuat credibile admodum eſſe BARBARUM, ut Blondo gratificaretur, non difficilem ſe labori illo ſuſpiciendo præbuiſſe, quandoquidem eidem jam de Forojulienſibus antiquitatibus documenta a Jacobo Utinenſi, ac Guarnerio comparaverat; & præterea onus etiam ſibi ſumpſerat Procemii ad ejuſdem Italiam Illuſtratam concinnandi. Utraque harum animadverſio-

num locum nacta eſt in mea Diatribe, atque Appendice, uti apparet ex teſtimoniis indidem ſumma fide depromptis, prolatiſque notis 50. & 51. Laudatur quoque nota 52. epiſtola Philippi Ariminenſis ad BARBARUM, qua nomine etiam Andreæ Contrarii Presbyteri Veneti excitatur, ut provinciam ſuſcipiat Venetæ Hiſtoriæ adornandæ: *Divi Cæſaris exemplo* (Ariminenſis verbis utor) *quantum digniſſima tua otia patientur, incumbe calamis, & Reip. tum litterarum, tum rerum geſtarum gloria conſule*.

Quoniam vero, ut paulo ante innui, ita BARBARI voluntas ferebat, ne ipſe tanquam eorum Commentariorum auctor vulgaretur, mirari minime ſubit, ſi nec Blondus, nec Manelmus ea illi adjudicent, imo vero hic ſe eorum artificem jactet, Blondus autem nullam in ſuo opere Manelmi mentionem faciat, quamvis ab ipſo Commentaria illa una cum Epiſtola Brixianæ editioni præfixa accepiſſet. Id ſane Blondi ſilentium eidem in præfatione ad eam editionem Aſtezatus ingrati animi vitio non vertiſſet, ſi collectionis meæ Epiſtolæ, nec non Johannis a Spilimbergo Oratio duodecim poſt annos a me in diem extractæ, in ejus notitiam antea deveniſſent. Neque movere nos debet, quod in iis Commentariis Manelmus de ſe tanquam de vero auctore loquatur, id enim neceſſarium omnino fuerat *a fin qu' il ne manquat rien a la farge*, ut gallicam dicendi formulam uſurpem. Præterea animadverſione dignas puto lepidas illas Manelmi ad ſuum nomen alluſiones, cum ita ad Blondum ſcribit: *Nec cum ſis inter Secretarios Apoſtolicos ab Evangeliſta eſſe debes alienus*. Sub Operis autem initium: *In his vero*, inquit,

quit, *Commentariolis Evangeliſtæ, ſi ita tamen loqui licet, non minus, quam Apoſtolo credendum putes*. Hi joci *ils ſentent un peu mon Barbare*, cui ſimiles omnino ad proprium nomen alluſiones familiares fuere; ſic cum ad Ludovicum Scarampum Archiepiſcopum Florentinum de Concilii Ferrarienſis negotiis ſcriberet: *Mihi*, inquit, *Barbaro crede, ſic agendum eſt, ut non tam a nobis, quam a ſe facile vinci patiantur*. Nemini autem eſſe non poteſt aliarum etiam BARBARI, & Manelmi locutionum ſimilitudo conſpicua, uti priori Epiſtola mea adverti, quem non pigeat utriuſque ſcripta conferre. Quæ cum ita ſint, multo tamen gravioris ad idem confirmandum momenti eſt, quod Manelmus in iiſdem Commentariis in id potiſſimum intendere videatur, ut oſtendat perbelle in BARBARUM Brixiani Archimedis nomen quadrare, quod Brixiæ urbis non minus, quam Syracuſarum Archimedes, toto oppugnationis tempore præſidium ac prope anima fuerit; jam vero id nominis, quod ſua illi veteris hiſtoriæ cognitio ſugeſſerat, BARBARO noſtro magnopere arriſiſſe, aliquot ejuſdem Epiſtolæ manifeſtum faciunt.

Verum enim vero quamqaam virium ac nervorum quamplurimum habere videantur conjecturæ variæ, quibus hactenus meam de vero Commentariorum Brixianorum auctore fulcire ſententiam ſategi, nihilo tamen minus inficias ire minime poſſum ſapienti omnino conſilio quæſtionem hanc nota 49., pag. 143. Hiſtoriæ *della Letteratura Veneziana* hoc pacto dirimi: *In tanta varietà però, e diſcordanza fra gli Scrittori di quel tempo non è agevole di riſolvere ſe il Barbaro abbia*

bia veramente compoſti i Comentarj di quell' aſſedio. Huic ego judicio ſubſcribo, atque ita meæ huic Epiſtolæ finem impono; ex ea autem, quemadmodum & ex ſuperiori Epiſtola mea, mecum facile quiſque conveniet, quod inprimis contendo; excellentem hanc hiſtoriam *della Letteratura Veneziana* verius tum propter eam, qua abundat ſelectorum, graviſſimorumque documentorum varietatem ac copiam, tum prôpter eximium, quo ſuis quæque locis digeruntur, ordinem, novo nomine Hiſtoriam *Litteraturæ Auctoris ſui* appellari poſſe. Quod quam a me jure, optimoque merito dictum ſit, magis etiam magiſque declarabit Epiſtola alia, qua primi Voluminis librum quartum, eumdemque poſtremum, mihi conſiderandum ſumam. In eo enim quamvis pauca de BARBARO meo, aliiſque Viris illuſtribus, quorum in ejus Epiſtolis occurrit mentio, me offenſurum ſatis perſentiam, latiſſimum tamen mihi ante oculos admirabilis Auctoris omni commendatione majoris eruditio aperiet campum; per quem ille ad extremas uſque, minuſque cognitas orbis plagas dum expatiatur, clariſſimam iiſdem affundit lucem, diſſipatque adeo

Et quas ſentit Arabs, & quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas.

Brixiæ Idib. Mart. MDCCLIII.

EPI-

EPISTOLA TERTIA.

NOBILI VIRO

ANDREÆ QUIRINO

SENATORI VENETO

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. BIBLIOTHECARIUS ET BRIXIÆ EPISCOPUS

S. P. D.

QUod proxime ſuperioribus litteris meis tibi pollicitus fueram, Nepos ſuaviſſime, id modo tertia hac Epiſtola ad te perſcripta aggredior, in qua librum quartum, eumdemque poſtremum Voluminis primi de Hiſtoria *della Letteratura Veneziana* percurrendum atque expendendum ſuſcipio. Non minorem autem hinc voluptatem certe hauriam, quam in primis atque alteris litteris meis exarandis perceperim, quod in hac tertia Epiſtola nihilo minus jucunde refricare memoriam debeam præteritorum laborum, quos in FRANCISCO BARBARO, aliiſque Viris ea ætate clariſſimis, ac cum ipſo neceſſitudine conjunctiſſimis illuſtrandis devoravi. Itaque mea hæc Epiſtola etiam Florilegii veluti cujuſdam ſpeciem induet, in qua fere nihil præſtabo aliud, quam tenues quoſdam ramuſculos colligere; quos quidem auguror fore, ut nobiliſſimæ, ac fœcundiſſimæ arbori nova inſitione maritati, nova ſe pompa oculis tuis præbeant ſpectandos, idque eo magis,

gis, ſi opera mea fiat, ut ex arbore ipſa novi progerminent ſurculi, quibus accommodari Virgilianum illud poſſit:

Ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus Arbos,
Miraturque novas frondes, & non ſua poma.

Quoniam in quarto illo libro agitur *Dell'Iſtoria Foreſtiera*, res ipſa poſtulabat, ut a divinis libris initium duceretur, & primo loco eorum vigiliæ commendarentur, qui in iiſdem exponendis, Hæbraicæ linguæ ſtudio in ſubſidium adſcito inſudarunt. In eorum autem numero ſtatim occurrunt ex familia noſtra doctiſſimi duo, Senatores ambo, Laurus, & Vincentius Quirini, quorum ille tres tractatus compoſuit, *Caſtigationes Hebræ rum*, *Introductio in Linguam Sanctam*, *Excerpta de Sacerdotio Chriſti ex Suida*; hic vero cum aliis duobus Senatoribus Carolo Capello, & Dominico Reniero, Hæbraicæ linguæ peritiſſimis comparatur; floruere autem omnes eo tempore, quo Cardinalis Dominicus Grimanus Orientales Codices magna copia undique conquirebat. At enim de Lauro ſingularis jam mentio facta fuerat lib. I. tum pag. 49., ubi nullum fuiſſe litterarum ſtudium narratur, in quo non voluerit verſari, tum pag. 50. nota 134., ubi non ſolum vividum illius ingenium celebratur, ſed etiam vindicatur doctrina, quam ſi parvi fecere Matthæus Boſſus, & Leonardus Aretinus, magno e contrario in pretio habuere alii quampturimi ejuſdem ætatis viri eruditiſſimi, *quai furono il Biondo, Ciriaco Anconitano, Franceſco Filelfo, ed altri nominati nella Diatriba alle Piſtole di Franceſco Barbaro*: & re quidem ipſa variæ inter illum ex una parte,

te, & Poggium Florentinum, Leonardum Aretinum, ac Laurentium Vallam Romanum controverſiæ interceſſere; quemadmodum & cum Matthæo Boſſo Lateranenſi Abbate illi contendendum fuit propter opuſculum *De Sacerdotio Chriſti*, quarum diſputationum commemorationem eatenus in Diatribe mea inſtitui, quatenus clariſſimi hujus Scriptoris memoriæ ab injuſtis criminationibus liberandæ opus fuerat, atque ab iis præſertim, quas Leonardus, & Valla inſignis ejus litteraturæ invidia exſtimulati, eidem impegerant, *Urit enim ſplendore ſuo, qui prægravat artes - Infra ſe poſitas.* Neque vero vel eo ipſo tempore defuit, qui Lauri patrocinium ſumeret emiſſa in lucem latina verſione Luciani Dialogi, cui titulus, *Non temere credendum calumniatori*, quem ego primus in Vaticano Codice reperi, & mea in Diatribe indicavi, productis etiam prioribus Præfationis ad eumdem Dialogum lineis (1).

Quod attinet ad Biblicam Quirini alterius, Vincentii inquam, eruditionem, egregium de illa documentum attuli in opere meo *De Tiara*, &

---

(1) *Præcipuum Dialogi illius Luciani propoſitum eſt probare, quod:* Διαβάλλεται μὲν οὖν τὸ μάλιστα ὁ τιμώμενος καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ὑπολειπομένοις αὐτοῦ ἐπίφθονος. Defertur ergo ut plurimum ille, qui maximo in honore eſt, atque ob idipſum eorum, quos poſt ſe reliquit, invidiæ expoſitus. *Eodem ſenſu S. Cyprianu , De zelo, & livore:* Quanto ille, qui invidetur, ſucceſſu meliore profecerit, tanto invidus majus ad incendium livoris ignibus inardeſcit. *Lucretius quoque de iis, quos invidia urit lib. III. hæc habet,*

Illum adſpectari qui claro incedit honore,
Ipſi ſe in tenebris volvi, cœnoque queruntur.

& Purpura Veneta, cujus priorem partem aliquot ante annos Romæ edendam curavi, nondum tamen vulgavi, ſed apud me aſſervo, donec ſe mihi exhibeat opportunitas poſterioris partis eidem aſſuendæ; in priori autem latus ſe mihi campus aperuit ad diſſerendum de Vincentio Quirino, quod Ciacconius, aliique illum inter Cardinales creatos ſed non proclamatos retulerint. Varia ejuſdem opera recenſui, atque in his Grammaticam quamdam ad Linguam ſanctam Iſagogem eorum, qui linguæ illi vacare vellent, commodo elucubratam, nonnullas etiam Card. Bembi Epiſtolas laudavi, quæ Vincentii noſtri Theologiæ ac Philoſophiæ ſcientiam cumulatiſſimam extollunt, ac denique Card. Contareni epiſtolam quamdam commemoravi, quæ huc facit perbelle (2). Ut

(2) *En Contareni verba ad Quirinum, cum in Camaldulenſem Hetruriæ Eremum jam ſeceſſiſſet*: E' venuto il tempo, che ſecondo l'antico mio deſiderio ſon per darme tutto alla Scrittura Sacra, rivedendo qualche coſetta di queſti altri ſtudii, maſſime per giovar a quelli doi gioveni, che ſapete, in queſto uſano la mia opera. Ho comenciato a veder libri di Salamone per eſſer molto morali, & ho comenzo li proverbii, libro eccellentiſſimo, & così per mio piacere cercando di faziar in tutto la mia ſolita anzietade nel ſtudio, ſon per andar dietro a vedendo non per imparar, & ſaper, come principal fine, ma per emendar la vita mia, e per accender queſto mio frigidiſſimo petto. O M. Vicenzo cariſſimo, ſe adeſſo vi ritrovaſti de quì, ſaria venuto il tempo che mai mi parteria da voi, ma in un voler, in un ſtudio, vedendo di quanto mio ben ſareſti cauſa, & ego fungerer vice cotis. Non potreſti creder quanta fidanza ſia

Ut autem Biblicæ Venetorum litteraturæ gloriam magis, magiſque Clar. *Hiſtoriæ* Auctor declaret, ob oculos ponit Typographium Hæbraicis libris imprimendis fundatum Venetiis atque apertum an. 1518., ex quo primum Biblia prodiere Daniele Bombergh Antuerpienſi curante; atque alterum item in plebe Sacci Patavini Agri Oppidi Venetiis haud longe diſſito inſtitutum ſub finem ſæculi xv., unde volumen in folio Hebraica lingua compoſitum accepimus an. 1478. aliquanto ante percelebres Soncini Mediolanenſis Ditionis Oppido editiones, quarum eruditiſſimus Saxius in Mediolanenſi litteraria Hiſtoria meminit; hæc autem occaſionem mihi obtulit ad Saxium ipſum Epiſtolæ mittendæ, quæ in quarta mearum Epiſtolarum Decade primum obtinet locum. In ea oſtendi Soncinenſium Editionum gloriam non modica ex parte Brixiæ deberi, etenim earum non paucæ, quamvis Soncini præferant titulum, quod ibidem primum Hæbraicis formis uti cæptum ſit, negari tamen nullo modo poteſt, quin e Brixianis prælis emerſerint (3). Accedit ad Bri-

ſia nel cuor mio di non perderve, & che la volontà di Criſto non ſia, che li ſerviate ſeparato dal conſortio noſtro, ma chel vogli che noi laudiamo la Maeſtà ſua nella conſervazion voſtra. *Tiara & Purpura Veneta. pag.* 133.

(3) *Cum in Epiſtola ad Saxium de Hæbraicis illis Editionibus ſermonem haberem, hæc ſcripſi:* Cedit præterea in ſingularem Brixianæ illius Editionis laudem, quod ipſa ab Johanne Vogt in Catal. Hiſtor. Crit. Libror. Rarior. edito Hamburgi an. 1738. vocetur *inter rariores rariſſima*, qua olim uſus fuerat Lutherus in

Brixiæ noſtræ ornamentum, quod natale ſolum fuerit notiſſimis fama Paganinis, a quibus Alcorani Editio Arabicis formis (4) eo circiter tempore ſuſcepta fuit, quo Gregorius Georgius Venetus Fortunæ Fani aliam Arabici cujuſdam libri adortus fuerat Editionem, cui proinde referri ſolet prima Arabicæ Typographiæ origo.

Secundum Sacrarum Paginarum editores, atque illuſtratores, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores enumerari incipiunt pag. 343., quorum agmen ducunt Jacobus Zenus Epiſcopus, & Cardinalis Antonius Corrarius, ille propter deſcripta Pontificum geſta, hic propter hiſtorica Commentaria. De opere Jacobi Zeni ſermonem habui in eo tractatu, quem *Monumenta Litteraturæ Epiſcoporum Venetæ ditionis, qui Franciſci Barbari ætate floruerunt* inſcripſi, ac poſtremæ Epiſtolæ Decadis primæ inſerui. Ibi tacitum non præterii elogium ſingulare, quo Zenum proſequitur Georgius Merula Alexandrinus in Præfatione ad Plauti Comœdias

in conficienda verſione Germanica, quodque ipſum Brixianum exemplar in Bibliotheca Berolinenſi capſula incluſum aſſervari teſtetur.

(4) *Quoniam non deſunt, qui dubitent an Arabica Editio Paganini Brixiani lucem unquam aſpexerit, certam hac de re probationem in commemorata Epiſtola mea produxi ex literis Theſei Ambroſii Canonici Lateranenſis, qui ad celebrem Georgium Poſtellum ita ſcribit:* Omni interea ſtudio, cura, atque diligentia non ceſſavi, Alexandrum Paganini Brixienſis filium, & qua potui etiam ſollicitudine, amicorum interventu rogare non deſtiti, ut typos, formaſque Punicarum literarum, quibus olim pater ejus Alcoranum impreſſerat, juſto vellet Poſtello vendere pretio &c.

Digitized by Google

dias, quas Venetiis an. 1472. vulgavit, ipſique Zeno nuncupavit; elogium ſane, quod, propter eximias, quas continet Zeni laudes, inter cætera Præſulis illius præconia, jure optimo Muratorius commendavit in Præfatione ejus vitæ præfixa, quam habes Tom. XIX. Script. *Rer. Ital.* (5).

De Commentariis Antonii Corrarii ambigit Hiſtoriæ *della Letteratura Veneziana* Auctor pag. 346. an ille iiſdem res tantum eccleſiaſticas ſui temporis, an vero etiam civiles complexus ſit, quas

C

(5) *In Merulæ Præfatione hæc de Jacobo Zeno leguntur*: Tu vero interea, Patavine Pontifex, cui nominatim emendationem hanc noſtram dicamus, cum ſis Pontificii juris Conſultiſſimus, & omnium ſacrarum Literarum fons, atque theſaurus, quod vel ex hoc apparet, quod, ſi quando de divinis, humaniſque rebus diſceptatur, te omnes unicum adeant diſceptatorem, & velut oraculum quoddam conſulant; tuque ita prudenter, & ſcite de omnibus reſpondeas, atque judices, ut te unum noſtra ætas habeat, quem vere ſanctarum legum interpretem, & diſciplinarum patrem appellare poſſit. *In Tractatu autem hæc de Muratorio ſcripſi*: Multos affert doctrinæ Præſulis illius laudatores, inter quos tamen nemo eſt, qui eundem ita diſerte exornet, ac feciſſe vidimus Georgium Merulam ab eodem minime relatum. Ibidem mentionem facit cujuſdam Orationis habitæ ab Jacobo Zeno ad Collegium Patavinum, nec non Vitarum Romanorum Pontificum a S Petro uſque ad Clementem V. quas ille conſcripſit, quaſque Bollandiani Operis Continuatores ſibi non exiguo uſui fuiſſe teſtantur, ac tandem Vitæ Nicolai Albergati, Cardinalis S. Crucis, quam iidem Bollandiſtæ, auctore eodem Zeno, in Tom. II. Maii intulerunt, poſtquam ipſam Georgius Garnefelt, Carthuſienſis an. 1618. publicii juris feciſſet.

Digitized by Google

quas certe Corrarius perſequi egregie potuiſſet, & pro rerum maximarum adminiſtratione, qua functus fuerat, & pro eximia qua florebat doctrina. Neque vero dubitationem tollunt Tommaſini verba nota 24. ejuſdem paginæ ex annalibus Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga excerpta; at me quidem judice dubium omnino omne eliminatur ex ipſo Operis titulo, cujus Gregorius Corrarius Antonii nepos meminit, in ſuo Soliloquio *Ad Deum de vita & obitu beatæ mem. Antonii Epiſcopi Oſtienſis*, cujus non mediocrem partem in Opere meo *De Tiara, & Purpura Veneta* recitavi: *Exſtant*, inquit, *etiam in litteris labores ſui multum utiles, liber Sanctus annorum Filii tui a temporali ejus nativitate, in quo multa errata diligenti ſupputatione correxit*: Unde ſatis manifeſte liquet eum librum de annis Filii Dei, non aliud quam annales ſacros complecti potuiſſe, & fortaſſis etiam amplius nihil, quam Chriſti Domini vitam.

Jam vero cum non ultimam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem conſtituant, quæ de Conciliis ſcripta fuere, de Scriptoribus, qui in hac materia operam locarunt, ſermo inchoatur pag. 346., meritiſque extollitur laudibus pag. 347. Fantinus Valareſſus Cretenſis Archiepiſcopus propter egregiam Synodorum Orientalium compilationem ab eo compoſitam, in qua illarum concordiam cum Florentini Concilii Sanctionibus in aperto ponit: quamobrem non injuria mirari ſubit, quo fato factum ſit, ut Tractatus ille noſtrorum temporum diligentiam effugerit, neque publicam adhuc lucem aſpexerit. Ex Manuſcripto Codice, ubi Tractatus ille occurrit, integram præfationem excer-

pſi

Digitized by Google

pſi (6) quam in commemoratum antea Opuſculum *Monumenta Litteraturæ &c.* tranſtuli; in eodem pariter, cum de Petro a Monte agerem, ea ſcripſi de ejuſdem Opere *De Conciliis Generalibus* (7),

C 2 quæ

(6) *In ea Præfatione Eugenio IV. Valareſſus exponit, ſe ideo animum Operi ſuo lucubrando applicuiſſe ut calumnias retunderet; quas contra Florentinum Concilium Græci Schiſmatici per Cretam diſſeminabant. Cum vero eam Præfationem recitaſſem, ſubdidi*: Opus Fantini Valareſſi contra obtrectatores Unionis Græcorum fuiſſe in Bibliotheca Cardinalis Sirleti affirmat Jo: Albertus Fabricius Bibl. Gr. Vol. x. p. 435. Opus item ejuſdem de explicatione Concilii Florentini, cui interfuit (Fantinus Valareſſus) ex Vaticana Biblioth. laudat Horatius Juſtinianus in Præfat. Collect. Actor. Concil. Floren. apud Labbe Concilior. Tom. XVIII. *Non video quam ex his verbis occaſionem arripere Pater de Auguſtinis potuerit, ut in Vita Fantini Valareſſi affirmate pronunciaret, me Florentini Concilii explicationem ab Horatio Juſtiniano Fantino attributam tanquam Opus diverſum ab ejuſdem Tractatu* De Conciliorum authoritate, & de Communione Latinorum & Græcorum, *venditaſſe. Quandoquidem quæ ego eo loci diſſerui intelligi commode poſſunt de duobus diverſis ejuſdem Operis titulis, quemadmodum diverſus eſt titulus, quem Fabricius recitat* contra obtrectatores &c. *Igitur cavere debebat P. de Auguſtinis, ne ſibi perſuaderet, me unquam de Operum diverſitate fuiſſe perſuaſum.*

(7) *De Tractatu Petri a Monte* De Conciliis Generalibus, *ita in eadem Epiſtola ſcripſi*: Extat enim impreſſus non ſingularibus tantum Editionibus Romæ, & alibi, ſed in Oceano juris, quo Tractatus univerſi juris continentur, in Apparatu Collectionis Conciliorum Labbeanæ, & in Bibliotheca Maxima Pontificia Joannis Thomæ de Roccaberti. Poſtremo hoc loco appo-

quæ ſatis cuique perſuadeant quanti illud faciendum ſit, & quam merito una cum Valareſſi Tractatu adjungi poſſit Operi Dominici Bolani Cidonienſis Epiſcopi, cujus pag. 348. mentio fit.

Inter Scriptores autem, qui Sanctorum Acta litteris mandaruut, occurrit nota 69. pag. 360. Vita Card. B Niccolai Albergati a Jacobo Zeno exarata, de qua, quoniam paulo ante dixi, gradum facio ad pag. 364, ubi de iis diſſeritur, qui de Eccleſiæ ritibus, ac ceremoniis pertractarunt, in quibus locum non infimum jure nanciſcitur P Albertus Caſtellanus Venetus, qui Romanum Pontificale additionibus ac caſtigationibus auctum edidit, & Leoni X. P. M. dicatum voluit. Ad hunc locum in memoriam rediere Colles oppidum in alpeſtribus noſtratis diœceſis finibus prope ſitum, ubi ſeptemdecim annis ante Venetam editionem, atque adeo ſine Alberti additionibus (quibus venerabilis libri illius nativam pulchritudinem deformaſſe potius, quam reſtauraſſe quidam, ſed injuria, arbitrantur) typis impreſſum fuit Romanum Pontificale; In mea ad Saxium Epiſtola paulo ante indicata, haud certe prætermiſi quin hanc Brixianæ Typographiæ gloriam extollerem, ac pretium declararem editionis illius curatæ *Collibus Vallis Trompiæ per Maffeum de Fracazinis ſeden-*

apponitur ei Procœmium, quo dicitur: „Opuſculum certe inſigne, & floridum, ac propter eruditionem, & doctrinam ſane aureum, ſcoriamque „aliquam, quæ in eo inveniatur, temporibus illis „tribuendam, quibus hujuſcemodi quæſtiones agitari ſunt cæptæ.

Digitized by Google

dente Alexandro VI. Pontifice Max. anno ejus XI. MCCCCCIII. die XII. Auguſti, uti legere eſt ad calcem exemplaris, quod in Bibliotheca noſtri Seminarii Brixiæ aſſervatur.

Albertum Caſtellanum paucis interjectis lineolis excipit Dominicus de Dominicis Tractatus *De Dignitate Epiſcopali* auctor, quo erudite ſtatuit, propugnatque Epiſcopos debere Apoſtolicis Protonotariis præcedere. Hunc librum non Oudinum modo, ſed quotquot etiam eximii illius Præſulis Opera recenſuerunt, latuiſſe teſtatur Venetæ Litteraturæ Hiſtoria. Inter eos næ ego numerandus ſum, qui partim in opuſculo non ſemel allegato *Monumenta Litteraturæ &c.*, partim in Epiſtola ad Virum doctiſſimnm Ab. Trombellum, quæ ſecundæ Decadis ultima eſt, eorum Operum catalogum texui; Codices unde illum elicui nullam Operis, quo de loquimur, notitiam mihi ſuppeditarunt; at Codex Vaticanus 4589. orationem quamdam Auctoris noſtri obtulit mihi hoc titulo *Ad Sanctiſs. Patrem Dom. Noſt. Pium II. Pont. Max. pro parte Epiſcoporum, qui erant in Romana Curia. Habita Mantuæ prid. Calend. Januar. MCCCCLXII.* Cum ergo in commemorata Epiſtola Orationis titulum produxiſſem, verba etiam attuli & quibus Pontificis decretum concipitur, quo Epiſcopis cauſam adjudicavit, & quibus Dominicus de Dominicis nomine totius Epiſcoporum ordinis gratias Pontifici egit. Libri autem *de Dignitate Epiſcopali* non mentionem tantum, ſed & acuratiſſimam deſcriptionem exhibet in Vita Dominici de Dominicis P. Johannes de Auguſtinis in ſuis *Notitiis Hiſtorico-Criticis*, quas his ipſis diebus typis tradi-

Digitized by Google

dit, ſummaque diligentia conquiſivit, expendit, ac digeſſit (8).

Ab eruditione ſacra ad profanam progreditur Litteraturæ Venetæ Scriptor pag. 366. atque oratione ad Romanam generatim conſideratam converſa principem in ea locum tribuit Flavio Blondo Forolivienſi, qui licet Venetiis ortum non de-

(8) *Ubi in ea Vita de emortuali anno Dominici de Dominicis diſſerit P. de Auguſtinis, pro ea qua eſt humanitate, Joh Mariæ Rizzardo Typographo meo tribuit, quod per errorem in ſepulcrali illius inſcriptione pro* MCCCCLXXVIII. *anno, unitate omiſſa annum* MCCCCLXXVII. *impreſſerit. Utinam ego P. de Auguſtinis referre par poſſem, Venetoque Typographo imputare quod ille ſcribit; Dominicum ſcilicet de Dominicis tanta vi apud Pontificem peroraſſe, tot in medium rationes protuliſſe ad Epiſcoporum cauſam tuendam, ut Pontificem adduxerit ad decernendum* Ut Protonotarii in Capella Pontificia deferentes Epiſcopis in locum inferiorem ſuccederent; *Etenim portio illa ejuſdem Orationis, quam Epiſtolæ meæ ad virum Clariſs. Abbatem Trombellium inſerui, aperte declarat ibi Dominicum Epiſcoporum nomine gratias Pontifici agere, quod ipſis cauſam jam adjudicaſſet; imo vero teſte ipſo P. de Auguſtinis Oratio illa, quæ in Patavini Capituli Bibliotheca aſſervatur, hunc præſefert titulum*, Oratio ad Pium II. pro Epiſcopis in Gratiarum Actione. *Igitur Typographo Veneto, quo P. de Auguſtinis utitur, unice verti vitio poterit comma inter verbum* deferentes, *& verbum* Epiſcopis *imperite interpoſitum, quod cum latina ſintaxis omnino rejiciat, a Typographo meo Romano merito omiſſum fuit. Leviuſcula hæc obſervatio de Commate a Typographo Veneto extra locum poſito vindicare ſatis poterit Rizzardum Typographum meum de unitate oſcitanter ſuppreſſa in ea, de qua paulo ante dixi, ſepulcrali Inſcriptione.*

Digitized by Google

deberet, neceſſitudini tamen cum Venetis quamplurimis, & egregio erga Rempublicam amori debuit, ut publico decreto civis renunciaretur; neque Blondo longe imparem fuiſſe aſſerit Franciſcum Filelfum, qui & Venetiis diu commoratus eſt, & multas in ea civitate amicitias præſens contraxit, & eaſdem abſens coluit diligentiſſime. His ducibus ac magiſtris profanæ eruditionis ſtudium apud noſtros etiam floruiſſe colligit Litteraturæ Venetæ Auctor. Hujus ego quidem cum veſtigia hactenus preſſerim, Mi Andreas, video mihi ab eodem modo pauliſper diſcedendum; etenim eum, quam ille Blondo, vel Filelfo in profanæ eruditionis aognitione principatum tradit, Barbaro meo omnino concedendum eſſe exiſtimo; cui ſententiæ meæ confirmandæ vel ſolus ſatiſque poſſet Tractatus *de Re Uxoria*, quo, ipſo etiam Hiſtorico noſtro teſte pag. 368., Barbarus quantos in Romanæ eruditionis ſtudio progreſſus feceſſit cumulatiſſime demonſtravit; eum tractatum ſcripſit imberbis adhuc, quotquot autem litterati ejus temporis legere, Guarinus, Poggius, Vergerius, Ambroſius Camaldulenſis, aliique ad unum omnes augurati ſunt fore, ut a Barbaro in eo doctrinæ genere, nihil vulgare eſſet expectandum; in eo enim admirati ſunt eloquentiam, dignitatem, gravitatem, ordinem, atque ut uno omnia complectar verbo, Ciceronem alterum *de Offitiis*, *ſed uxoriis*; ut propterea Ambroſius Camaldulenſis affirmare non dubitaverit, eum, ſi paribus progrederetur paſſibus, unum ea ætate futurum, qui ſuperare, nedum æquare, ſuperiorum Temporum ingenia poſſet. Perfecit etiam *pæne puer*, ut ab Hermolao ejus Nepote didicimus,

verſionem Vitæ tum Cimonis, tum Ariſtidis, qua comprobatur, ſive ejus in Græcis litteris excellentia, ſive etiam omnigenæ eruditionis copia, ſi præfationem præſertim attendamus qua eandem verſionem Zachariæ fratri tranſmiſit. Jam vero nullo modo dici poteſt ætate illa adhuc tenera vel Blondum, vel Filelfum ſecutum fuiſſe Duces, quorum ille tum BARBARO facile ignotus omnino fuit; hic vero eatenus notus, quatenus uterque Gaſparinum Barzizium, Venetiis BARBARUS, Patavii Filelfus audivit; Præceptore potius uſus eſt BARBARUS Guarino, quo tempore illum domi ſuæ hoſpitem habuit (9). Quod autem BARBARUS annis volventibus majores continenter in ſuſcepto ſtudiorum curriculo progreſſus effecerit, tot habemus teſtes, quot ſunt ejuſdem Epiſtolæ atque orationes, quæ ubique Romanæ ac Græcæ litteraturæ luminibus ſplendent; quam quidem, quod mirabilius eſt, ſibi eo tempore comparaverat ſola Mss. Codicum lectione, cum nondum ars Typographica eſſet inventa. Quam in rem animadverſione dignum eſt, quam iis temporibus difficile, atque arduum accideret non vulgarem quamdam eruditionem ſibi parare, quando veteres Codices plerumque indicibus, & ſectione in capita carerent, & notis adeo informibus

(9) *Hujuſce rei certiores nos facit commemorata Præfatio:* Maximas habebis gratias (*ita ille ibidem ad Fratrem ſcribit*) ſcio, modeſtiſſimo, & eloquentiſſimo Guarino Veronenſi communi Præceptori noſtro, quo hoſpite, non enim verebor quod ſentio dicere, prope non minus quam Lucullus Archia, & Pompejus Theophane, ac Cornelius Ennio gloriamur.

Digitized by Google

mibus exarati eſſent, ut divinatione potius quadam, quam lectione iiſdem intelligendis opus foret, ut tacitos prætercam errores, quibus exſcriptorum imperitia, vel oſcitantia ſcatebant. At vero noſtris diebus tanta ac tam varia ex arte Typographica ſubſidia nobis ſuppetunt, ut brevi tempore, neque herculio labore non levem doctrinæ copiam adipiſci pronum cuique eſſe poſſit. Igitur cum incredibilem quamdam litteraturam ſibi difficillimis illis temporibus Barbarus collegerit, ut nemo ejus ſcripta ſine ſtupore legat, conficere mihi inde poſſe videor, me nonniſi jure atque optime merito, nulloque relicto dubitandi loco Barbarum Blondo, ac Filelfo prætabuiſſe; quia imo aſſerere non reformidarem, me hac in re Blondum ipſum ac Filelſum habere adſtipulatores, quod facile patet ex ipſorum teſtimoniis, quæ inter alia non pauca in Diatribe mea recitavi (10).

Mi-

(10) *Inter non pauca, quæ ex Blondo in Diatribe produxi teſtimonia, hoc præ cæteris legere eſt pag.* LXXIV. Franciscus Barbarus excellentiſſimi Vir ingenii, cujus literarum Græcarum, & Latinarum doctrinæ, an eloquentiæ editis operibus celebratæ, aut in adminiſtranda Rep. ſapientiæ, & pietatis geſtarum, præſertim apud Brixiam, rerum gloriam anteponas, haud facile poſſis diſcernere. *Inter ea vero non certe pauciora, quæ ex Filelfo excerpſi in eadem Diatribe pag.* DXLV. *illud apparet, quod ex quadam ejus Epiſtola ad Tommaſium erui, atque ita habet*: Mihi eſt renunciatum, Franciscum Barbarum priſcæ gravitatis, & eruditionis exemplum migraſſe ex hac luce. Magna eſt noſtro Sæculo, permagna Eloquentiæ jactura injecta, Venetis vero omnibus

Mirari profectò eſt, Blondum BARBARI operâ indiguiſſe, ut Italiæ ſuæ illuſtratæ Procemium illud præfigeret, quod in eadem Diatribe produxi; *indiguiſſe*, inquam, quod me non lateant cenſuræ, quibus viri latinæ linguæ purioris ſcientiſſimi, hominis in ſcribendo ſtylum notarunt. BARBARO Blondus debuit, quod Veneta Civitate donaretur, quamobrem illum tanquam Mecœnatem ſuum ſemper coluit; imo vero coluerunt omnes ejus temporis litterati, qui præterea illum appellare judicem conſueverunt quotieſcumque aliqua inter ipſos de litteris controverſia excitaretur, cujus utriuſque tituli Mecœnatis, ac Judicis Diatribe mea luculentiſſimas exhibet probationes. Sub finem primæ partis ejuſdem Diatribes non exiguam e Vaticano Codice Invectivæ (11) cujuſdam Petri a Monte

nibus plane ſingularis, qui talem Virum amiſerunt, qualem habent alterum neminem. De doctis, atque diſertis loquor; nam viros graves & ſapientes ſcio eſſe Venetos pœne innumerabiles, ſed qui idem & Græce eſſet, & Latine doctiſſime eruditus, quem alterum habeatis illuſtrem, audio neminem. Doleo igitur & veſtrum in tanto Viro, & noſtræ tempeſtatis naufragium.

(11) *Hac Invectiva, præſertim in Vita Petri a Monte, utitur P. de Auguſtinis; verum perinde ac ſi nihil penſi haberet, quam mihi videor promeruiſſe laudem, quod ego primus Opuſculum omnibus antea ignotum in publicam lucem extulerim, ſollicite tantum expendit, an ejus Auctor Cardinalis Condulmerii famulatui ſe ſe devoverit, cum primum ad eam dignitatem evectus fuit, an vero aliquot poſt annos. Ejuſdem modi prope dixerim nugas aliis etiam in locis venatur, ut cum in Leonardi Juſtiniani Vita conjecturam*

Digitized by Google

Monte partem in lucem protuli, ubi Francisci Barbari eruditio ſummis laudibus cumulatur.

Hactenus non ſine aliqua animi anxietate ab Hiſtoriæ *della Letteratura Veneziana* tramite evagatus, non ſine maxima voluptate ad eamdem regredior, quod mirifice ſententiam meam conſentire videam cum iis, quæ pag. 381., ubi de Numiſmatum ſtudio agitur, affirmantur de Ænea Silvio, qui deinde ad Summum Pontificatum evectus Pii II. nomen geſſit; eum ſcilicet in Commentario ad libros Antonii Panormitæ de dictis & geſtis Alphonſi Regis Neapolitani, pro Card. Petro Barbo, qui poſtea Pontifex creatus Pauli II. nomen ſumpſit, Antonium Corrarium Cardinalem poſuiſſe, dum lib. 2. cap. 12. ita ſcriberet: *Anto-*

---

ram quamdam meam, qua ejuſdem Juſtiniani Epiſtolam an. MCCCCXXXIV. *affixeram, nulla ratione in oppoſitum producta, jejune repudiat. At, quod gravius eſt, ex his minutis ſubtilitatibus fas ſibi eſſe arbitratur in Indice ad Operis calcem Clariſſimis, quos ibi nominat, Scriptoribus, quamvis adhuc in vivis degant, has, ſimileſque cenſuras apponere,* Corretto Emendato, *quam ſane Indicum conficiendorum methodum unde hauſerit neſcio; id autem ſcio, haudquaquam certe didiciſſe ex Indicibus Excellentiſſimi* Marci Fuscareni *D. Marci Procuratoris, qui non minus ac reliquæ omnes ejus Operis partes, ubique humanitatem, ingenuo ac liberali homine dignam, ſpirant. Equidem P. de Auguſtinis latere jam non poteſt, ſe ab uno aliquo eorum Scriptorum, eodemque Patritio, in arenam evocatum fuiſſe, cui propoſitum animo eſt ita ſe ipſum tueri, ut ſimul oſtendat ab illo ſcriptas Vitas Virorum illuſtrium, qui aliquam cum* Barbaro *conjunctionem habuere, nudam ſine carne ac ſanguine compagem fore, ſi ex iis detrahantur, quæ ille ex Operibus meis in rem ſuam tranſtulit.*

Digitized by Google

tonius S. Marci Cardinalis, Eugenii IV. Summi Pontificis nepos incredibile eſt, quam multa Numiſmata veterum conquiſierit Imperatorum, & Principum: amator & hic vetuſtatis eſt. Ad quæ verba hæc ſcite nota 139. ſubiiciuntur: *Certamente c' è errore nel nome. Antonio (Corraro) Cardinale non fu nipote, ma cugino di Eugenio IV. e non ebbe il titolo di S. Marco, ma quello di S. Piero* ad vincula, *e chiamoſſi anche il Cardinal di Bologna. Il titolo di S. Marco l' ebbe Pietro Barbo, che fu poi Paolo II. e fu veramente nipote di Papa Eugenio, e grande ricercator di Medaglie. In fatti lo ſteſſo Piccolomini nella ſua Europa, parlando di lui, lo qualifica coi titoli ſopradetti, e col nome di Pietro. Perciò o errò egli nel nome, o i copiſti, o gli ſtampatori erraròno nel traſcriverlo, o pubblicarlo. Quindi ſarà da correggerſi il Banduri nella Biblioteca Nummaria, l'autore della prefazione alla Scienza delle Medaglie del P. Jobert, ed ogni altro, che ſu queſto falſo fondamento miſero tra gli Antiquarj Antonio Cardinale di S. Marco*. Hunc ipſum errorem ego quoque jam animadverteram in quadam mearum Epiſtolarum (12), iiſque uſus fui ver-

(12) *In Epiſtola ad Cl. Claudium Bozium Regiæ Pariſienſi Inſcriptionum, atque humaniorum literarum Academiæ a ſecretis perpetuò data, hæc ſcripſi*: Hujuſcemodi fuiſſe Paulum Pontificem, quum prorſus latuerit Numiſmatum Interpretes, & inter eos Anſelmum Bandurium, qui *Nummariam Bibliothecam* valde accurate deſcripſit, Jo: Albertum Fabricium, qui eandem illuſtravit, ac tandem tam Jobertum in libro *Science des Medailles*, quam hujus libri editorem Joſephum Bimardum de la Baſtie,

verbis, quæ videri poſſent verſionem veluti quamdam continere textus Italici, niſi Epiſtola illa mea decem ante annos lucem vidiſſet, quam reperies in ſecunda Decade mea Latinarum Epiſtorum. Ille ego ſum, qui laudatum Æneæ Silvii te-

ſtie, hinc factum eſt, Pontificem illum, in eorundem Commentariis debito ſibi loco privatum, præclara quoque ſibi debita laude uſque adhuc caruiſſe. Hanc plerique ex illis Antonio cuidam Cardinali S. Marci adſcripſerunt, nixi auctoritate Æneæ Sylvii *in iib.* II. *Commentarior. in dict. & fact. Alph. Reg.* ubi legitur: *Antonius S. Marci Cardnalis, Eugenii IV. Præſulis nepos, incredibile eſt quam multa Numiſmata veterum conquiſierit Imperatorum, ac Principum. Amator & hic vetuſtatis eſt.* Antonii tamen nomen ex amanuenſium errore in eum locum irrepſiſſe, certum eſt, quandoquidem Eugenii nepos Condulmerius Cardinalis nomen illud minime geſſit: Antonius autem Cardinalis Corrarius Gregorii XII. non Eugenii IV. nepos fuit, ac præterea neuter ex duobus hiſce Titulo S Marci inſignitus extitit. Huic certe præfuit Petrus Barbus, Eugenii IV. vere nepos, & vetuſtatis amator præſtantiſſimus, ac proinde hujus nomen in Æueæ Sylvii Commentariis Antonii nomini ſurrogandum, confidenter affirmo. Vaticanam Bibliothecam conſului, ſi forte meam illam emendationem confirmaret Codex aliquis Ms. at incaſſum. Iidem ipſi interpretes ſeu Antiquarii primordia Numiſmaticæ Scientiæ a Sæculi XV. temporibus repetentes, indicarunt quidem Petrarcham ejus ſuppellectilis congregandæ Sæculo etiam XIV. cupidum, at quemadmodum Paulum Pontificem, ita & alios in *Diatriba Prælimin. ad Fr. Barb. Epiſt. Part.* 1. §. VII. *n.* VI. a me memoratos, quibus profecto princeps poſt Petrarcham locus in Bibliotheca Nummaria debebatur, recenſere omiſerunt.

teſtimonium conjunxi (ut faciendum monet nota 140.) & cum teſtimonio Michaelis Canenſii Pauli II. familiaris, a quo Pontificis illius vita mea opera in publicum emiſſa, ſcripta fuit; & cum locis quibuſdam Epiſtolæ Æliani Spinulæ ad Cardinalem Papienſem, quæ pariter adduxi in iis Vindiciis, quas Pauli II. Vitæ præmiſi. Quod vero inter amatores ac collectores rerum vetuſtarum ipſe etiam FR. BARBARUS ſit referendus, probat Ambroſii Camaldulenſis Epiſtola, quam in Diatribe mea pag. CCXXXIII. laudavi.

Atque hæc quidem, quæ hactenus diſputavi, a textu Hiſtoriæ *della Letteratura Veneziana* aut nihil, aut non multum abludunt; at jam tempus adeſt, quo me obſtrictum video ad paſſus continendos, ne trans maria, & montes, quo Auctor iter intendit a pag. 395. ad voluminis calcem curſu nunquam intermiſſo, illum conſectari cogar, cum ad BARBARUM meum regiones illæ nihil ſpectent. Iccaro audacior eſſem ſi Hiſtorici noſtri volatum æmulari vellem; prætervolat ille primum Europam, quantum patet, penitus omnem, inde in Aſiam, Africam, atque Americam migrat, nec majori difficultate, quam ſi Veneti continentis Urbes luſtraret. Undecumque ad iter illud feliciter continuandum ſubſidia eruditionis accerſit. Magnam affert certiſſimorum documentorum vim, monumenta, quæ inter manuſcripta ad hunc diem delituerant, in lucem extrahit, atque una compingit, accuratiſſimo judicio factorum adjuncta nondum ſatis explorata librat, populorum leges, ac mores exponit, & ſcite examinat, navigationes deſcribit præclariſſimis æque ac jucundiſſimis eventibus pleniſſimas; atque ut ſummatim complectar

om-

Digitized by Google

omnia, uberrima luminum copia, quæ ex occultis fontibus hauſit, quæ undequaque contraxit, externam Hiſtoriam illuſtrat, atque ad eum evehit ſplendoris apicem, quo illa altius eluctari minime poteſt. Tot rerum tractationes, tam implicitæ, tam a communi cognitione remotæ, tanta in luce collocatæ me impulere ut alteras litteras meas abſolverim teſtatus Litteraturæ Venetæ Scriptorem fugaſſe *Et quas ſentit Arabs, & quas Gangetica tellus — Exhalat nebulas.* At modo video illum longe ultra Gangem, & Arabas, prope dixerim ad Antipodas uſque doctrinæ ſuæ radios diſperſiſſe. Portenti cujuſdam inſtar eſt inexhauſtæ eruditionis ejus torrentem undequaque erumpentem ſpectare, quem dum admiror, ſentio me metamorphoſi quadam in Horatianum illum ruſticum mutari, de quo Poeta cecinit,

Ruſticus expectat dum defluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Atque his quidem duobus verſiculis hujus Epiſtolæ meæ modum facerem, niſi ut aliquantiſper adhuc illam protraherem me quodammodo cogeret non vulgaris commendatio, qua duorum ex familia noſtra Virorum illuſtrium, Lauri, & Vincentii Quirini memoria in eo eruditionis torrente celebratur; etenim cum ex iis Epiſtolæ hujus exordium auſpicatus ſim, videor mihi non abs re fore, ſi in iiſdem illa finem nanciſcatur. Igitur pag. 444. ubi de Venetis Scriptoribus agitur, qui Turcarum res litteris conſignarunt, Lauri Opuſculum laudatur *De Urbis Conſtantinopolis jactura, & captivitate* ad Nicolaum V. inſigni diligentia, nec minori eloquentia, uti ibidem aſſeritur, conſcriptum. Hoc ego in duobus Codicibus altero

Va-

Vaticano, Veronenſi altero reperi, quemadmodum duobus Diatribes meæ locis indicavi, quorum priore pag. 118. memini etiam de Oratione in idem fere argumentum a Taddeo Quirino coram Nicolao habita, quam ea benignitate Pontifex excepit, ut Taddæus ad BARBARUM ſcripſerit, *Gaudeo me Pontificis judicio probatum; atque utinam ſic re, ut verbis, me recipiat, & proſequatur*. Taddæus Patre natus eſt Petro Quirino, qui cum BARBARO *inter æquales ſuos ab adoleſcentia* arctiſſimam neceſſitudinem fovit, quod teſtatur Epiſtola, qua BARBARUS Taddæum Cardinali Franciſco Condulmerio Pro-Cancellario commendavit. Lauri vero Orationem, ſive appellare malis, Epiſtolam Hiſtoricam in publicum eduxit doctiſſimus P. de Auguſtinis operis ſui pag. 216. Quod ſi Laurus Oratione illa ſua tantum ſtudii patefecit pro publicis rei Chriſtianæ commodis, non minorem tamen impendit curam, ut patriæ ſuæ ac Reipublicæ ſerviret, probumque ſe illi civem probaret, cum opus Poggii *De Nobilitate* adortus eſt. De Lauri vindiciis loquitur *Hiſtoria* pag. 50., quam vero in iiſdem partem habuerint Niccolaus Barbus, & Franciſcus Contarenus nota 134. eidem paginæ appoſita explicatur, ubi Leonardus etiam Juſtinianus Chius appellatur alterius operis de eodem argumento Scriptor (13). Inter

(13) *Animadvertit P. de Auguſtinis ſuarum Lucubrationum pag. 216. falſo Caroli nomen Poggio tribui a Michaele Juſtiniano in ea Poggii Vita, quam ille præmiſit Editioni duorum Opuſculorum, ipſius ſcilicet Poggii, & Leonardi Chii; eumque errorem forte origi-*

Inter cæteros tamen Venetæ gloriæ vindices atque aſſertores certe non prætereundus eſt Gregorius Corrarius, cujus judicio vel ipſe ſe Poggius facilis ſubjecit, cujus rei fidem facit Poggii ad Corrarium epiſtola; ego vero mentionem injeci tum in Diatribe, tum in *Monumentis Litteraturæ*.

Venio jam ad Vincentium Quirinum quem *Hiſtoria* pag. 429. Patriæ nomine Legatione functum fuiſſe an. MDIV. apud Burgundiæ Ducem, deinde vero apud Anglos, ac denique apud Hiſpanos; dum vero ibidem verſaretur, conſilium ſuſcepiſſe ad Portugaliæ fines ſe conferendi, ut cominus exploraret quos habuiſſent ſucceſſus Navigationes

D ab

---

ginem traxiſſe ex male intellecto Platinæ textu ſuſpicatur. Verum enimvero idipſum affirmare omni dubitatione ſepoſita debuiſſet; Juſtinianum quippe in ea Poggii Vita, allegato Platinæ e Vita Eugenii IV. teſtimonio, ubi recenſentur Viri literati ejuſdem Pontificis familiares, Leonardus Aretinus, Carolus, Poggius, Auriſpa &c. *incaute* (*Juſtinianum, inquam*) *inter* Carolus & Poggius *comma ſuppreſſiſſe conſtat; quo factum eſt, ut ex duobus unum hominem effecerit, idque, ut reor, ex eo, quod eum latuerit, Carolum Marſupinum* (*æque ac Leonardum, patria Aretinum*) *deſignatum a Platina fuiſſe tacito Marſupini nomine. Non diſſimili ratione parum acute vidiſſe cenſendus eſt P. de Auguſtinis in Vita Laurentii Zanii, Spalatenſis Archiepiſcopi, ubi litem intentat Poggii, & Vallæ nominibus pagina 64. Epiſtolæ, quæ in prima Decade mea loco poſtrema eſt, præpoſtere poſitis. Hujuſmodi enim mendum medicam ejus manum minime depoſcebat, cum ibidem Lectorem ad Diatribes meæ locum remittam, in quo nomina illa propriis locis ſita inveniuntur. Adeundus ergo erat Scriptori locus ille, priuſquam venditandæ eruditionis ſuæ cauſa cenſoriam ſumeret virgam.*

ab ejus gentis Navarchis recens inſtitutæ. Notitias autem, quas hinc expiſcatus eſt, in eas retulit tabulas, quibus Rempublicam de ſuarum Legationum exitu certiorem fecit, quæ inter Manuſcripta adhuc aſſervantur; fallitur enim Sanſovinus, uti nota 301. demonſtratur, affirmans illas publici juris factas fuiſſe, quod & de iis Theſibus pronunciavit, quas magno numero tum Patavii, tum Romæ propugnaverat (14). Verum hæc caducæ gloriæ ornamenta concedant veræ atque immortali gloriæ, quam ſibi ex eorum contemptu conſecutus eſt, cum rebus humanis nuncio remiſſo, Eremitarum Camaldulenſium Ordinem Petri nomine aſſumpto amplexus eſt. Lege, ſuaviſſime mi nepos, binas, quas ſtatim adjiciam, Epiſtolas, Chriſtianæ pietatis præceptis inſtitutiſque pleniſſimas, quas Operi *De Tiara* &c. inſerui, quaſque ex tabulario Ruæ Patavinæ mihi com-

(14) *In libro* De Tiara &c. *præter Contareni, & Bembi literas, bujuſque Præfationem ad librum* De Culice Virgilii, *attuli præclarum teſtimonium ex Epiſtola inedita Hieronymi Avancii Veronenſis de ſtupenda Quirini adhuc adoleſceatis literatura; de honoribus autem, quibus Patria eundem cumulare pergebat, ita Bembus Aſulan. lib. III.* De' quali honori nuovamente dalla Patria raddoppiatevi mi rallegro con Voi non meno, e non più che facciate con voi ſteſſo, e cantovi quel verſo,

I bene quo virtus tua te vocat, i pede fauſto
Grandia laturus meritorum præmia.

Io certo ſpero che abbiate ad eſſere a brieve andare il maggiore, e più onorato Uomo della noſtra Città, il che io ſono per veder così volentieri, come coſa che avvenir poſſa di quelle della fortuna giammai.

Digitized by Google

communicavit optimus Pater D. Tiburtius, hodie Romæ Procurator Generalis Congregationis ſuæ de Monte Corona. Iis veræ pietatis documentis, nobis præſertim, ex quorum ille familia prodiit, incumbit ut proficiamus; quod faxit Deus, ut bono noſtro contingat.

Brixiæ die XV. *Cal. Majas* MDCCLIII.

B. Paulus Juſtinianus de ſancto propoſito Collegæ ſui Petri Quirini ita ſcribit Contareno, Theupulo, ac Egnatio.

DI me potreſti con qualche, o con ogni verità dire, Pazzo era quel Tomaſo, e ſempre viſſe pazzamente, in fine pazzo pazzo ſi ha fatto Monaco. Queſto non poſſete dire del Quirino in alcun modo, che ſempre per prudente, per ſavio havete tenuto. Di me potreſte dire, come in parte havete già detto: Quel malinconico ſi dilettò ſempre come fiera ſilveſtre che era, d'una ſolitudine, ſuperato dalla vehemenza dell'atra bile ſi è al fine a quell'orribil ſolitudine ridotto. Queſto non ſi può in alcun modo dire del noſtro Fra Pietro, che ſempre giocondamente viſſe, & per lieto, & ſanguineo, & lontano da ogni faccia d'atra bile havete cognoſciuto, amico delle compagnie, & in quelle aſſai piacevole. Di me ſi puotè in verità dire: Quella flema non era da altro, che da eſſer Monaco inepto a tutte le attion del Mondo, non era buon da niente, a che ſi poteva quel pezzo di mole o per ſe, o per altri adoprare? Dell'amico noſtro Quirino non ſi può queſto dire, che & ne i ſtudii, cioè nelle attion del Studio, e nelle coſe private, e nelle pubbliche, quanto

Digitized by Google

to era ſvegliato, ſolecito, deſtro, & accorto ognun di voi el cognoſce. Direi qualch'altra coſa, ma non voglio più dir mal di me ſteſſo, ma dirò ben del Quirino, chel ve dee mover fino alle ultime precordie, & commover tutte le viſcere dell'animo voſtro con il ſuo exemplo, che egli vi può di certo dire, *Hebrei ſunt, & ego*. Sono il Tiepolo, el Contarino, e l'Egnatio Venetiani, & ſon delicatamente nutriti, & ſon viſſi tra amici, & ſon uſi alle Compagnie, & ſon letterati, & Dottori, & ſon negli amori de' parenti, & amici, & ſon nella frequentia de gl'huomini, uſi, & diletatiſi di udir nove, & ſon ne i Magiſtrati, nelle ambition. Et io, & inſipientemente, come dice l'Apoſtolo, *In omnibus plus his ego*. Perche adunque ſe così vi dice, tacendo non vi ſi commove l'animo a volerlo, o in tutto, o in buona parte imitare? Non vi potete, non che in verità.... finger ſcuſa alcuna, che vi poſſi impedire, che non ſii ſtata più, o così in eſſo Quirino, & egli pur tutti queſti mondani vani, vani, vani riſpetti, e piaceri ha calcato magnanimamente non ſol per giovar a ſe ſteſſo, quanto per giovar etiam a voi, col ſuo exemplo quello che abbiate voi a fare expreſſemente moſtrandovi. Onde non havete più appreſſo Iddio loco di excuſatione alcuna, ſe oltra ogni altra coſa, che vi dimoſtra la vanità del Mondo, da poi lo exemplo di così ſavio, dotto, & prudente amico voi vorrete ancor amar queſta vita, o coſa che a queſta vita diletti, nella quale ogni coſa è falace, inſtabile, & le allegrezze piene di dolori, & li ripoſi pieni di agitation, & le contentezze piene di miſerie non ſolo d'ogni particolar, e privato homo, ma non meno delli Stati, delle Republiche, di quell' huomini in dignità, & ſublimità conſtituti, &c. il che laſſando ogni altra prova, vi dica, e dimoſtri la Briſciana recente ſtrage...... Guardate il noſtro grande, e veramente in queſte coſe mondane grande, Capitanio Gritti, dove è egli hora caduto, ſe è vero quel che quì riſona.

Idem

Digitized by Google

Idem B. Paulus in alia Epiſtola iiſdem ſcribit.

QUello che ha moſſo il Quirino è ſtata la grazia dell'Altiſſimo Redentore Noſtro Jesù Chriſto, che li ha fatto conoſcere le cure mondane eſſer non ſol vane, ma pericoloſe all'anima di chi in eſſe vive ſenza mai contento alcuno, li ha dimoſtrato l'huomo eſſer peggio d'un giumento inſipiente, ſe egli l'intelletto, & la volontà non rivoglie a quello, che ſol gle l'ha data, perche con l'intelletto ſi sforzi di cognoſcerlo, & con la volontà ad amarlo. Ha per quella luce di Divina grazia compreſo le vite noſtre in queſto mondo eſſer breviſſime, & quì non eſſer patria a noi, ma peregrinatione, & ſi ha drizatto con tutto l'affetto alla futura eternità, & penſato di sì caminare queſto corſo che al fine poſſi alla Celeſte beatitudine pervenire. Alla quale Eternità, alla quale Celeſte beatitudine havendo gl'occhi della mente intenti, & fiſſi, ha reputato più vil, che ſtercho della terra, tutte le voſtre ricchezze, & tutti i voſtri così ſublimi honori, & magnifichi Magiſtrati, o altri officii, ha cognoſciuto quel ch'io temo, che non cognoſcete voi, & credetelo di core, & di vero affetto, & non ſol in parole, come molti fanno, ha (dico) cognoſciuto, & creduto che alla beata felicità eterna non ſi perviene, ſe non chi a quella diriza tutti i ſuo' penſieri, & amori, ogn'altra coſa diſpreciando, che alla participation dell'altiſſima Divinità, la quale ci è promeſſa, alla quale come a fin è l'humana creatura ordinata, non ſi arriva ſe non per participation della glorioſa paſſione, & ſangue di Jesù Chriſto Crociſiſſo; & ſi ha diſpoſto a voler queſto glorioſo nome in quello modo, che & queſti ſecoli, & la ſua fragilità ſoportano, confeſſare, non parlando, & predicando ad un modo, come alcuni fanno con la lingua, & poi in contrario con le opere dimoſtrando, ma col core, con la lingua, & con le opere a chi le vuol udire. Crediate che ſian pazzi quelli che il Mondo amano, quelli che a Jesù Chriſto, alla Evangelica, & Apoſtolica diſciplina non ſi accoſtano, quelli che non ſi sforzano di confeſſar que-

Digitized by Google

queſto Signor Jesù Chriſto in queſta vita, per eſſer poi da lui in eterna gloria confeſſato, & collocato. Queſti, e molti altri ſimili ſon ſtati i diſcorſi dell' amico noſtro, & non diſpetti, o diſperation di ceſe terrene, i quali l'hanno fatto elegger queſta vita povera, ſolitaria, humile, incognita, ma molto più quieta, etiam in queſto Mondo, molto più tranquilla, & per dire in una parola molte coſe, molto più da homo, che le voſtre richezze nelle frequentie, nelle altezze delle magnifiche dignità voſtre. Et ſe egli haveſſe ſaputo veder via, o vita più apta, più comoda a dirizar i ſuoi penſieri, & amori in verità al deſiderio della Celeſte eterna vita, più conveniente a confeſſare apertamente il nome, & la dottrina di Jesù Chriſto, non in queſta, ma in quella, ſi haveria poſto. Et è ancora & lui, & io inſieme con lui di queſto animo, che ſe vedeſſi come più ſicura, & certamente poteſſe driza ſi alla Eternità, che aſpettiamo, & deſideriamo, ſe cognoſceſſi altra vita, o via, in la quale poteſſimo più altamente, & più chiaramente confeſſar Jesù Chriſto, & Evangelium, queſta laſſando, a quella ſi poremo.

Chi penſa, o dubita chel Quirino ſi ſia alla Monaſtica, o Eremitica vita convertito per le ruine, per le perdite del Stato, e del Dominio della ſua terrena Patria è molto dal vero lontano. Non era ancora il Quirino nella ſeconda ſua Ambaſciata andato, ſe ben già eletto, quando vivere lontano, e ſeparato dagli honori, & cure mondane have deliberato, benche non haveſſe all' hora l'eſſer Monaco deliberato. Non era ancora un Re di Franza diſceſo in Italia, nè era ſtato ancora l'eſſercito Venetiano fugato, e diſperſo, nè la Lombardia da' Barbari uſurpata, quando haveva il Quirino nell'animo ſtabilito di viver tra' Monaci della ſua patria in qualche ſolitario loco lontano, hor vedete ben come s'ingannano chi crede, che le ruine della Patria habbia moſſo il Quirino a farſi Monaco.

LET-

LETTERA
DEL SIGNOR CARDINALE QUERINI
A SUA ECCELLENZA
IL SIGNOR MARCO FOSCARINI
Cavaliere e Procurator di S. Marco.

NOn contento io di aver reſa pubblica con le tre mie Lettere Italiane l'ammirazione da me concepita nel leggere l'Opera veramente incomparabile di V. E. ho voluto che di eſſe ſi formi quì a Breſcia la traduzione Latina, onde non abbiano l'Italia per confine le memorie glorioſiſſime della Letteratura univerſale della noſtra Patria. Ho di più giudicato che ſervendo quella traduzione di una ſpecie di Proclama, queſto per riuſcire grandemente ſonoro oltre i monti, doveſſe indirizzarſi colà a un Letterato di primo grido, e mi è ſembrato a propoſito di ſcegliere per tal fine il celeberrimo Gio: Jacopo Maſcovio Conſigliere Aulico di S. M. il Re di Polonia, Senatore di Lipſia, e Prefetto della Biblioteca Paolina nell' iſteſſa Città. Oltre l'eſſer Egli inſignito di queſti titoli, ha dato motivo a detta mia ſcelta la Storia (Opera eſſa pure ſenza paragone) de' Geſti de' Tedeſchi da lui compoſta, a'la quale rende giuſtamente onore V. E. nella ſua, e fanno applauſo le Nazioni, avide di conſeguirla nel loro proprio idioma, dopo l'eſempio dato loro dagl' Italiani. Dunque e per la benemerenza di queſt' eſempio, e per quelle lodi che ha riportato da V. E. l'illuſtre Letterato, non ho da dubitare che l'animo ſuo umaniſſimo accolga gentilmente tal mio Proclama, e s'impegni a fargli avere l'effetto che da me ſi deſidera.

Nell' offrire che ora faccio a V. E. l'iſteſſa traduzione non voglio diſſimularle, eſſermi ſentito ſtimolare anche dal mio amor proprio, a encomiare Opere cotanto inſigni, quali ſono le due STORIE Veneta, e Germanica, comparſemi e l'una e l'altra ſtupende nel ſuo genere per la gran copia di Documenti certiſſimi, che vi ſi allegano, e queſti ricavati da fonti occulte, e in buona parte rimaſti finora ne' ſoli teſti a mano. Or queſt' iſteſſa ſorte di erudizione è

per

per l'appunto lo ſcopo di ogni letterario mio parto, come ne fanno prova i libri della Greca Ortodoſſa Offiziatura, delle Antichità dell'Iſola di Corfù, delle prerogative della Letteratura Breſciana, della Diatriba premeſſa alle Lettere di Franceſco Barbaro, delle Vindicie di Paolo II. e III., dell'Edizione delle Epiſtole del Cardinal Reginaldo Polo, e finalmente della Centuria che ora mai viene a formarſi delle mie Lettere Latine, ed Italiane, diſtribuite in Deche. Non poſſo però ſe non compiacermi fuor di modo nel veder oggidì trionfare in quelle due STORIE l'iſteſſa pellegrina erudizione, di cui mi ha reſo vago in ogni tempo il mio genio, totalmente alieno dall' impiegare e ozio, e inchioſtro in copiare ciò che ſi trovi abbondantemente compilato in Volumi che ſiano alle mani di tutti, e trattanti bene ſpeſſo materie, delle quali potrebbe impararſi un Tomo per giorno, fraſe che forſe V. E. avrà ſentita in Roma, come l'ho ſentita io dalla bocca di un Cardinale di gran mente, e dottrina. Ogni foglio dell'Opera di V. E. richiederebbe da taluni un anno intero di ſtudio, poichè in tutti ſi eſaminano con ſottile avvedimento circoſtanze di fatti non ancora baſtevolmente iſvelate, e ſi pongono in chiara luce coſe implicate, e difficili a ſaperſi.

Uniſco per fine i miei voti a quelli della noſtra Sereniſſima Patria, che con pubblico Decreto avendo onorato la prima Parte della Veneta Letteratura ſi è eſpreſſa nel medeſimo di deſiderare la pubblicazione della ſeconda, e in ſeguito della STORIA appoggiata a V. E. dall' Eccelſo Conſiglio Decemvirale, con la quale non v'ha dubbio che ſaprà Ella ottenere fra gli Scrittori Politici quel ſublime poſto che le avranno meritato fra i Letterati quei due Volumi. E con queſto preſagio chiudo la mia lettera baciando a V. E. di cuore le mani.

Breſcia il primo di Giugno 1753.

005676929

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google